DISSERTATIO JURIDICA,

DE

COMMERCIO CIRCA LIBERUM HOMINEM;

Quam,

AUXILIANTE DEO,

AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ CONSENSU,

PRÆSIDE

DN. DAVIDE Scheinemann/

Profess. Jur. Extraord.

Ad diem Septemb.

H. L. consuetis

Eruditorum Examini

decenter submittit

THEODORUS ZELLER,

LEOMONT.

TUBINGÆ,

LITERIS MARTINI ROMMEII.

ANNO MDCLXXXIX.

I. N. J.

Thesis I.

ORdinis ratio postulat, ut ab evolutione Vocum, Dissertationi nostræ præfixarum, initium faciamus. Missâ Etymologiâ, pauca, ut circa Homonymiam præmittamus, multiplex vocabulorum, Commercii & Liberi Hominis, usus exigit. Scilicet Commercium sumitur (1.) pro Conversatione & Consociatione, juxta illud Velleji: *Maxima Principis cura*
e debet, ut Sapiens sit Sapientum commercio. (2.) Pro similitudi-
e & convenientiâ unius rei cum alia: uti, antiquissimis tempori-
us, commercio linguæ morisque familiæ quædam liberæ invitatæ in
bsequium Nimrodi ultrò convenisse dicuntur. (3.) ad usum Ju-
s applicatum, pro negotiatione, quæ lucri potissimùm faciendi cau-
exercetur. Marq. *de Jur. Mercat. Lib. 2. c. 1. n. 5.* (4.) Pro nego-
o, quod præcisè pretio interveniente perficitur; prout capti ab
stibus commercio, i.e. pretio redempti vocantur in *l. 6. ff. l. 10. l. 11.*
. 15. 16. & 17. C. de Capt. & postl. rev. (5.) Ut denotet conventio-
causam & *συνάλλαγμα* habentes, vulgò Handlungen / dadurch
n Partthierung und Kramerschafft treibt. de quibus latè Goedd.
Contr. Stipul. C. 1. Concl. 3. n. 33. & seqq.

Sed hæ significationes partim alienæ, partim nimis angustæ sunt,
mbitum argumenti nostri exhauriant. Propius nobis accedere
etur Ulpianus, quando in fragm. *Tit. 19. §. 4.* Commercium defi-
jus emendi vendendique invicem; emptionis vocabulo latissimè
eneraliter accepto, uti in *l. 29. §. 1. ff. de Stat. lib. l. 8. §. 11. ff. de*
. & hyp. ubi omnem alienationem continere dicitur.

Nos vocabulo Commercii hic complectimur non solùm emen-
endendique, sed omne omninò Jus alienandi Liberum hominem,

 omnemve

omnemve actum, quo is, sive potius Jus circa ejus personam quæsitum, in conventionem deducitur.

II. Liberi Hominis acceptio tàm varia est, quàm varii, pro diversâ, in quâ homines degunt, conditione, Libertatis reperiuntur gradus. Aristoteli Liber homo dicitur is, qui est sui arbitrii; & juxta Ciceronem: *Libertatis proprium est, sic vivere, ut velis, de Offic. Lib. 1.* ab aliis definitur, quòd sit persona, facultatem intrinsecam habens agendi vel omittendi, quod judicaverit; sive quæ proprio ex judicio de actionibus, viribus & facultatibus suis disponere potest; corpus & membra sua sub Dominio & regimine Naturali propriæ rationis tuetur, de quo vulgò prædicatur: Er ist sein eigen Herr. Reuter *de Alienat. part. 1. cap. 2. sect. 2. n. 3.* quo sensu Libertas dicitur Jus in se ipsum Cumberl. *de LL. Natur. c. 6. §. 5.*

Nos Appellatione Liberi Hominis hic (1.) non indigitamus illum, qui in sensu planè abusivo liber dicitur à servitute & obedientiâ LL. & rectæ rationi debita. DEO enim, rationi & sapientiæ servire adeò servile non est, ut philosophi certatim in eo posuerint suam illam animi Libertatem, ceu omnis Libertatis fundamentum; quò spectat illud Ciceronis: *Idcircò omnes LL. servi sumus, ut liberi esse possimus.* Et Plutarchi: *Rationi qui parent, soli digni sunt, qui pro liberis habeantur: Soli enim hi vivunt, ut volunt, qui, quid velle debeant, didicerunt. Inerudití autem & rationis expertes animi incitationes atque actiones, exilem quandam ignobilemque voluntatis libertatem multâ cum pœnitentiâ conjunctam habent.* add. Vinn. *ad §. 1. Inst. de Jur. Pers.*

Nec (2.) in sensu Stoicorum, qui sapientem solum liberum, divitem, cæteros omnes servos, pauperes, insanos, æstimarunt.

Nec (3.) hâc voce intellectum volumus illum, qui talis censetur tantùm quoad libertatem corporalem, qualiter liberi etiam quodammodo dici possunt, qui bello capti reverâ servi effecti sunt, sed non nisi vinculis moralibus victori astringunrur; Quibus contradistinguuntur alii, qui vinculis naturalibus, ergastulis, compedibus, aut acri custodiâ coërcentur, ne vel aufugiant, vel ministerium detrectent, vel de facto Domino malum aut damnum aliquod machinentur. Ill. Dn. Pufend. *Lib. 6. c. 3. §. 6.*

Nec (4.) accipimus Liberum hominem, prout is Libertati Naturali relictus, omnique prorsus alieno Jure exemptus concipitur.

vid.

id. Husan. *de Homin. propr. C. 2. n. 36.* quo sensu omnes naturâ liberi icuntur in §. *4. ff. de Just. & Jur. Can. 7. Dist. 1.*

Nec (5.) in eo significatu, quo quidem in Societate Civili vientes comprehenduntur, ast non nisi illi, qui in Republicâ Liberâ egunt, & hoc respectu Subditis sub Rege viventibus opponuntur. Quam in rem multa, è veteribus Historicis petita, testimonia conessit Grotius *Lib. 1. c. 3. §. 12.* & *in not. ibid.* add. *lib. 2. c. 21. §. 7. c. 22. . 11. &c. 24. §. 8.* Et de hâc libertate cùm loquuntur Scriptores, Leges & Reges, Libertatem & Regnum, ut contraria, sibi opponunt: id. Schel. *de Jur. Imper. p. 136.*

Sed Liber homo nostræ Tractationis Objectum constituit, quaenus is talis est oppositivè ad mancipium & servum, qui servituti cuidam personali addicti sunt, quò pertinent *princ. Inst. de Jur. Pers. l. 3. ff. de Stat. Hom.* add. Grot. *Lib. 2. C. 9. §. 6. &c. 13. §. 4. in fin.* Dn. Pufend. *de Stat. Hom. Natur. §. V.* & certo respectu etiam proprii homines. vid. Reuter. *de Alienat. p. 1. c. 3. sect. 4.*

III. Absolutâ Terminorum explicatione, ad ipsius rei definitionem progredimur. Est verò **Commercium circa Liberum Hominem nihil aliud quàm facultas quædam, Jus circa personam Liberi hominis competens in alium transferendi, vel quacunque aliâ ratione in conventionem deducendi.**

IV. In evolutione Causarum primo sese loco offert **Causa Efficiens**, quæ vel **Remota** vel **Propinqua**; **Remota** est **Jus**, quod Commercium Liberi Hominis vel prohibet, vel permittit. Cùm enim in genere ad omnem alienationem & actum Commercii requiratur, ut alienare volens rei alienandæ facultatem habeat, hæc verò facultas sit à Lege aliquâ, omninò Lex de Comercio circa Liberum Hominem disponens agnoscenda est. Hanc ut scrutemur, haud suffecerit placitis Romanorum inhærere, aut in id saltem, quod cuique Civitati circa libertatem Civium suorum statuere visum fuit, oculum intendere, sed res paulò altius & ab origine suâ, acquisitione nimirum Juris in personas, quod ipsum pro basi præsentis materiæ supponemus, repetenda venit. Cui instituto ut jam propius accedamus, ante omnia præmittendum, Deum Ter Opt. Max. ab initio hominem liberum, i. e. nullius nisi Creatoris sui arbitrio & Voluntati subjectum creavisse, adeoque citra antegressum factum aut pactum humanum eun-

dem sui Juris potestatisve, omnique adeò commercio (utpote quod inæqualitatem quandam personarum & diminutam libertatem præsupponit) exemptum intelligi. Quò pertinet illud Quintiliani: *Quid non liberum natura genuit.* Conf. *l.4 de Just. & Jur. Can.7 dist.1.* & quæ de æqualitate, conditionem hominis primævam concomitante, latè exponit Dn. Pufend. *& Jur. Nat. & Gent. Lib.3.c.2.§.1. & seqq.* At verò æqualitas hæc potestatis & Libertatis, per quam hactenus par omnium Mortalium conditio, & nemo potestatis quid in alterum habere censetur, non ita accipienda, ac si omnis postea introducta inæqualitas & Libertatis diminutio Juri Naturæ adversa, & cum conditione hominis primævâ pugnare videatur; Ita enim Libertas homini à Naturâ non competit, ut nunquam abdicabilis sit, nec hoc sensu quisquam æqualitate gaudet, ut eâdem excidere non possit. vid. Grot. *de Jur. B. & P. Lib.2. cap.22.* §. *11.* Wæchtl. *in Lect. Grot. ad Lib.1. cap.3. §.12.* Hennig. ad *d. l. Grot.* add. Zœs. *ad ff. tit. de Just. & Jur. num.52.* Sed quæ post, superveniente facto humano, tàm in statu Patrumfamilias, quàm Civili, uni in alterum acquisita fuit potestas, non eò minus Jure Naturæ competere eoque regi rectè dicitur; Cùm tralatitium sit, Jus naturale non de iis tantùm agere, quæ citra voluntatem humanam consistunt, sed de multis etiam, quæ voluntatis humanæ actum consequuntur, docent. Grot. *Lib 1. c.1. §.10.* Illud verò non æquè expeditum est, an hoc ipsum, quod in personas quæsitum fuit, Jus, salvâ Libertate personali, ad Commercium usque, facultatemve alienandi extensum unquam fuerit, aut inspecto Jure Naturæ eousque extendi potuerit? Circa quam quæstionem ut distinctius mentem nostram aperiamus, probè à se invicem secernendæ erunt diversæ, in quas homines transiere, Societatum species. Et prius quàm de Commercio ex potestate & Imperio Civili orto agamus, dispiciendum paucis, de Societatibus Minoribus, quarum tres: Maritalis, Paterna, & Herilis. De singulis videamus sigillatim.

V. In Consociatione Maritali seu Conjugali marito in uxorem competere potestatem, (quam alii vocabulo Imperii efferunt) haud facile quis negaverit; Sed de Amplitudine ejus, & ad quem gradum usque extendi possit, si ad præcepta Juris Naturæ exigatur, non omnibus æquè constat, nec etiam uniformes de eâdem occurrunt LL. moresque populorum. Quidam eandem ad Jus vitæ & necis produ-

produxerunt. De Germanis vid. Tacit. *de Mor. Germ. c. v.* De Gallis, Cæsar *de Bell. Gall. Lib. 1. c. 6.* Bodin. *de Republ. lib. 1. c. 3.* Arnis. *de Jur. Connub. Cap. 7. Sect. 4.* Alii Jure quasi commercii uxores suas utendas concedebant, & quasi usuarias habebant; Id quod apud Lacones, Tabyros, Medos, Saracenos & Arabes olim obtinuisse, refert Arnisæus in *Doctr. Pol. c. 3.* Imò apud Germanos quoque, ut eas tanquam merces permutarent, in usu fuisse, & adhucdum apud Calecutos observari, ex Historiâ Indicâ idem probat *loc. cit.* add. Knichen *Op. polit. L. 1. c. 1. th. 7. Explic. 2. n. 3. & th. 19. expl. 4. n. 2.*

VI. Verùm quicquid horum sit, si Consociationem Maritalem ad merum Jus Naturæ expendamus, pactis contrahentium id actum non videtur, ut marito circa uxorem Jus Commercii ullâ ratione quæsitum dici queat; Sed nec unquam Jus regendi uxores ita ad se pertinere crediderunt mariti, ut eo sese locupletiores censeri voluerint. In divinis quidem literis uxoris voluntas marito subesse jubetur, & insigniter quoque ibidem commendatur Saræ erga Abrahamum observantia, quòd Dominum ipsum vocaverit, *1. Petr. 3. v. 6.* Imò ordini Naturali adscribitur, ut serviant fœminæ viris, in *C. 17. XXIII. q. 5.* quæ tamen omnia ad illam, de quâ hîc quærimus, potestatem nondum pertingunt, nec ut eòusque porrigantur, finis matrimonii, qui in procreatione sobolis & communis opis ad vitæ necessaria commoditatesque parandas præstatione terminatur, exigere videtur. Ad hunc obtinendum sufficere potest Imperium arctioribus limitibus circumscriptum, ut nimirum degat sub custodiâ Mariti mulier, ejusque consensu & consilio singula faciat, quæ ad familiam pertinent. Grot. *l. 2. c. 5. §. 5.* Præterea cùm Jus regendi uxorem non nisi hujus consensu ultroneo constituatur, & peculiares esse soleant rationes, quare uxor sese huic & non alteri ad vitam commodius transigendam subjiciat, illius vel maximè interest, jus illud in alium non transferri. Ne jam dicamus, quòd matrimonio semel legitimè constituto, utrique conjugum in alterius corpus Jus quæsitum intelligatur, quod invito ideò auferri non debet, quia naturâ id habere quodvis pactum censetur, ut una pars ab eodem non possit discedere, nisi alterius consensu, aut pacto ab alterâ parte violato. add. Pufend. *Elem. Jurisprud. Univ. L. 1. def. 7. §. 2.* ubi ita: *potestas hac personalis & incommunicabilis est, nec in alterum legitimè transferri potest. Quadam enim potestates ita arctè cum personâ sunt conjuncta, ut earum actus per aliam personam*

nam

nam rectè exerceri omninò nequeant. *Talis est potestas Mariti in corpus Uxoris, quam per vicarium obire LL. haudquaquam admittunt.* Aliam rationem suppeditat Reuter *de Alienat. part. 1. cap. 4. Sect. 12.*

VII. E modo dictis, merum Jus naturale spectantibus, apparet, quibus cancellis Imperium Maritale includatur, consequens est, ut in mores Gentium & LL Romanas inquiramus, an iisdem ullibi ad facultatem alienandi extensum fuerit Jus mariti in personam uxoris? De moratioribus gentibus tale quid proditum haud reperitur. Id verò admittendum non est, ut unius vel alterius minus culti populi corruptela protinus potestatis, Jure Gentium maritis circa personas Uxorum concessæ, tribuat argumentum. Connubia ista, quæ maritis facultatem permutandi, inque aliorum usum prostituendi uxores permittunt, barbarum quid & propè belluinum redolent, nec ad humanæ naturæ conditionem satis quadrant. Quales gentium impietates non tàm verbis quàm suppliciis refutandas esse, monet supra laud. Arnis. *Doctr. Pol. c. 3.* Quod si potestatem maritalem ex Legibus Romanorum metiamur, controverti ad hucdum posset, annon olim Commercii quoddam genus circa uxores indulserint? Et sanè pro Affirmativâ non obscurè facit locus Strabonis *lib. 11.* ubi apud Romanos moris fuisse refert, ut Uxores suas aliis Viris elocarent, cùm duos tresve filios ex illis suscepissent. Cui non absimile est, quod de Catone Minore refert Plutarchus in *vit. parall. Tom. 2. c. 34.* Accedit & porrò, quòd antiquissimis temporibus nuptias Coëmtione celebratas fuisse, veterum rituum observatores communiter tradant, per quam uxor Materfamilias, & in manum mancipiumque viri transiisse dicebatur. Gell. *N. A. l. 18. c. 6. in fin.* Hinc & est, quòd potestatem maritalem, qualis jure prisco in personam uxoris competiit, æqualem cum herili reputet Lyserus *de Imp. contra Domin. Emin. §. 21.* Verùm, hisce insuper habitis, verecundius de Romanorum connubiis, quàm â nonnullis authoritate Strabonis & Plutarchi fieri videmus, judicandum existimamus, cum Hottom. *d. tract. c. 22. p. 52.* Facta ab illis relata non illicò in argumentum, quid tunc temporis Juris apud Romanos fuerit, assumi possunt. Non quod fit, spectandum, sed quid fieri debet; hoc ad Jus refertur, illud ex vitiis hominum oritur. Alienatio Uxoris à Catone facta moribus Romanorum consona ideò præsumi nequit, quòd reprehensionem Cæsaris eundem hoc ipso incurrisse ex recensione ipsius Plutarchi constat, *in alleg. Caton. vitâ*

vitâ cap.77. Nec præterea à veteri coëmtionis ritu, quo id saltem agebatur, ut esset stabilior ita contracta Societas illâ, quæ solo usu contrahebatur, ad concessam facultatem alienandi validè concluditur: Phrasis illa, in manu mancipioque esse, ambiguum & latè patentem sensum continet; vid. Calv. *Lex. Jurid. voc. Mancipium.* Hoc in loco idem denotat, ac sub Imperio & potestate mariti esse, quam significationem multis authoritatibus firmat Bodin. *de Republ. Lib. 1. c. 3. num. 21. & seq.* & juvat quoque dictum à Valerio apud Livium: *Et vos in manu & tutelâ, non in servitio debetis habere eas, & malle Patres vos & Viros quàm Dominos dici.* Hujus verò potestatis amplitudinem non tàm ex ambiguo nominis sono metiendam, quàm potius ex ipsâ substratâ materiâ, naturâ scilicet & fine Societatis, in quam uxor transiit, hujusque tanquam sociæ conditione, temperandam esse, ipsa sana ratio suadet. Conf. *l. 215. ff. de V. S.* Neque putandum, hactenus è Jure Veteri Romanorum deducta posterioribus temporibus mutata fuisse. Non enim dilatata, sed restricta potius in multis Jure Justin. conspicitur potestas Mariti in uxorem. vid. Interppr. ad *tit. ff. de Rit. Nupt.* & Commentat. ad txx. *Nov. 117. c. 14. L. 14. §. 1. ff. sol. matr. l. un. §. 5. & 7. C. de R. V. A. L. pen. C. de repud. & jud. de mor. subl.* add. de veteri morum Judicio sublato, Dn. Coccejus *in Disput. de Judic. Mor. membr. 3. per tot.* & tradita Stamm. *de serv. person. lib. 2. c. 1. n. 7. & seqq.*

VIII. Proximum est, ut investigando Jus Commercii circa Liberum hominem progrediamur ad secundam speciem Societatum simplicium, Paternam nimirum, & quantùm ibidem potestatis in ordine ad Commercium parentibus circa liberorum personas competat, penitius inquiramus. Ubi iterum commodioris disciplinæ gratiâ, id quod Patri naturaliter circa distractionem liberorum licet, & quod LL. Civilibus, Romanorum præprimis, cautum est, separatim exponemus. Et sanè potestatem patriam, antiquissimum juxta ac sanctissimum genus Imperii, Juris naturalis esse, cuivis facilè perspicere licet. At verò de amplitudine & terminis ejusdem non uniformiter sentiunt Dd. Discrepantia vota peperit varia de origine & fonte Juris Parentum in liberos doctrina; de qua vid. possunt Grot. *lib. 2. c. 5. §. 1.* cum Commentat. *ibid.* Hobbes *de Civ. c. 9. §. 2.* Dn. Pufendorf. *de J. N. & G. Lib. 6. c. 2. §. 4. & de Off. hom. & Civ. jx. Leg. Nat.*

lib. 2. c. 5. §. 2. Dn. Kulpis *in Colleg. Grot. Exercitat. 4. th. 1. lit. b. & c.* Horn. *Lib. 1. Polit. c. 2. §. 3.* Nostrum non est singularum opinionum momenta hîc ponderare, Id saltem pro instituti ratione & ad planiorem Causæ Efficientis explicationem sub examen vocare attinet; An ex illâ, quam Parentibus Jure Naturæ competere diximus, potestate, Jus Commercii seu facultas alienandi liberos resultet? In Negat. propendent Feld. & Bœcler. *ad d. c. 5. §. 5.* Econtra, posse patrem naturaliter, & ubi lex Civilis non impedit, filium oppignorare, & si necesse sit, etiam vendere, asserit Grotius *d. lib. 2. c. 5. §. 5.* cui adstipulantur Conring. *de finib. Imp. Germ. c. 19.* Ziegler. *ad d. l. p. 270.* Dn. D. Osiand. *ibid.* Hornius *Polit. 1. c. 2. §. 4.* Hennig. ad *cit. loc. Grot.* novifs. Dn. D. Thomas. *Inst. Jurisprud. Div. L. 3. c. 4. §. 73.* Hi potissimam rationem decidendi repetunt ex ipso Imperio Paterno, non prout illud apud hanc vel illam Gentem LL. particularibus restrictum aut dilatatum conspicitur, sed prout ex conditione naturæ humanæ & fine consociationis, inter Parentes & Liberos consistentis, certam latitudinem & terminos præfixos agnoscit. Postquam enim Pater ad explendam obligationem adversus Liberos à naturâ injunctam potestate instruendus erat, omninò præsumendum, haud angustiores limites naturam huic potestati constitutos voluisse, quàm ad hunc finem obtinendum requiri videbantur, adeoque deficientibus mediis ordinariis, quibus aliàs parentes liberis prospicere solent, illam Jus dare ad id omne, sine quo obtineri non potest, quod imperat. Grot. *d. §. 5.* & *lib. 3. c. 1. §. 2.* Notanter dicimus, deficientibus mediis ordinariis: hoc ipso satis innuentes, non vagum prorsus hîc à natura indulgeri distrahendi arbitrium, sed id intra terminos suos coërcendum, & ad extraordinarium summumque necessitatis casum, cùm scil. alia ratio filium alendi non suppetit, restringendum esse, ita quoque monentibus supra pro Affirm. laudd. Auth. quibus add. Pufend. *l. 6. c. 2. §. 9.* Dn. Kulpis *d. Exerc. 4. thes. 3.*

IX. Sed revertamur ad Dissentientes, & videamus, an quid solidi habeant, quod nostræ sententiæ obvertere possent. Illi verò Jus distrahendi liberos *imò* impugnant ratione à qualitate & conditione Liberorum petitâ, quòd eorum corpora propter adhærentem ipsis libertatem, omnem æstimationem respuant, & vel ex hoc solo capite ab obje-

objecto conventionum remota censeri debeant. Quî enim oppignorari aut vendi poterit, quod æstimari nequit? inquit Felden. *ad Grot. l.2.c.5.§.5.* additâ simul ratione: quòd videlicet Liberi inter reliqua instrumenta vitæ, quorum valor ex usu metitur, non computentur. *2dò* dicunt: Concessâ hac alienandi facultate Liberos in eam conditionem detrudi, ut à servis nil amplius distare videantur. *3tiò* non videre se ajunt, quid ad obtinendum finem societatis paternæ alienatio Liberorum conferat, cùm per eandem alimenta, educatio, & quæ præterea liberis Jure Naturæ debentur, iisdem subtrahantur, & ex quo peregrinæ curæ & potestati submittuntur, intentioni naturæ, quæ parentibus præcisè tenerrimum affectum, ut prolis curam ipsi agant, implantavit, directò adversum eatur. *4tò* inferunt à denegato naturaliter patri Jure necis in liberos, ad denegandum Jus alienandi eosdem; Rationem sequelæ inde firmantes: quòd Libertas, quæ venditione adimitur, vitæ, servitus verò morti æquiparetur. v. *l. 209. de R. I. l. 58. ff. de Cond. & dem.* non autem plus Juris concedendum esse patri in vitam Liberorum civilem, quàm naturalem. *5tò* ex hoc ipso, quo dictum, liberos non nisi urgente summâ necessitate distrahi posse, consequi, prohibitionem commercii circa liberos lege naturali adhucdum contineri, & non nisi intuitu Necessitatis (quæ vulgò lege carere, atque ad multa agenda, quæ aliàs inter vetita computantur, jus dare, imò LL. derogare dicitur. vid. *c. 4. x. de R. I. c. 3. Exiit. de V. S. in 6to.*) tolerari, adeoque non tàm Imperio paterno, quàm ipsi necessitati, quicquid Patri circa alienationem liberorum indulgetur, tribuendum esse; quò inclinat Reut. *de Alienat. p. 1. c. 3. Sect. 11. n. 6.*

X. Verùm hæc tanti non sunt, ut à priori opinione nos dimoveant. Nam quod primò dictum, non esse hîc, quod æstimari possit, dextrâ explicatione indiget. Corpus liberum vel spectatur in se, vel ratione emolumentorum ex eodem provenientium. Priori respectu veram & certam æstimationem non recipit; nec enim libertas ex eorum genere esse censetur, quæ cum aliis rebus comparari aut exæquari soleat, tùm quia conventione hominum, quæ rerum mensuram constituit, talem affectionem nunquam nacta fuit, tùm quia ejus commoda tanta sunt, ut omne pretium nummarium excedere videantur. Fac. *l. 106. de R. I. §. f. l. qui & quib. ex caus.* quamquam & de hoc nonnulli, qui liberum hominem jure positivo demum commercio humano exemptum putant, disputent; vid. Hennig. *ad Grot. L. 1. c. 3. p. 234.*

 Ano-

Anonym. in Diss. *de Dom. Emin. in Imp. Roman. Germ. c. 1. §. 14. in fin.* Grasw. *Strict. ad cens. Feld. p. 137.* Guilelm. Grot. *de princ. J. Nat. c. 7. §. 5.* Posteriori verò respectu esse aliquid in corpore etiam libero, quod rationem æstimationis subire & in conventionem deduci possit, procul dubio ipsi Dissentientes fatebuntur. Quorsum enim aliàs referemus æstimationem pecuniariam, parentibus ob necem liberis culpâ illatam, præstandam? Quo loco collocabimus interesse, quod itidem parentes in judicium deducunt, ubi filius ob vulnus acceptum aut membrum mutilatum minus vel prorsus inutilis factus est ad præstanda ea, quæ parentibus, maximè infirmis aut paupertate pressis, ex debito naturali jx. *l. 1. C. de alend. lib. l. 5. C. de patr. pot. l. 5. §. 2. ff. de agn. & al. lib.* præstare tenetur? In utroque casu de imminuto patrimonio justè conqueritur pater, non tantùm in foro communi gentium, de quo subaud. trad. Grot. *Lib. 2. c. 17. §. 13. & 14.* Pufend. *lib. 3. c. 1. §. 7. & seq.* Boecler. *ad Grot. lib. 2. c. 1. §. 6.* sed & Civili Romano, quo pertinent novissimè congesta ab Exc. D. Harppr. *in Disp. de Oper. Liber. th. 36. & seq.* nullibi tamen compensationem ipsius filii interempti, aut restitutionem pro membro læso mutilatove, sed damni solummodo ex amissione operarum, à filio sibi debitarum, partemq; patrimonii ejus quasi constituentium, emergentis, emendationem postulat. Addi hisce meretur aliud exemplum ex *l. 14. §. 13. ff. de furt. § 9. J. de Obl. quæ ex del.* in quo consimilem æstimandi rationem observat Schneidew. *ad d. §. n 1.* & quæ huc apprimè facientia trad. Carpzov. *J. F. p. 4. c. 42. d. 14.* & *Pr. Crim. p. 1. q. 34. per tot.* Mev. *p. 1. decad. 211.* Illud prorsus vanum est, quòd in secundâ ratione ex concessâ distrahendi facultate liberos protinus in servilem conditionem detrudi, existimant. Quasi verò illâ positâ, nil amplius ad sustinendam utriusque status differentiam superesset. Haud sanè iisdem terminis facultas hæc in utroque subjecto circumscribitur. Dominus servum alienat pro lubitu; Pater non nisi necessitate adactus filium distrahit. Ne jam dicamus de dispari, quæ circa Objectum alienandum liberos nimirum & servos observatur, æstimandi ratione, & diversissimo quoque utriusque alienationis effectu, de quo infra latius. 3tia in contrarium allata ratio ideò non concludit, quia ad hoc, ut obligatio Parentum, quâ liberis ad alimenta tenentur, efficax sit, termini habiles præsupponi debent, quos hîc indigentia Parentum excludit. Fatemur, officium paternum Patri ita cohærere, ut ab eodem avelli nequeat,

queat, hoc tamen non obstat, quò minus utilitate prolis aut necessitate exigente, cura ejus alteri delegari possit. vid. Thomas. *Jurispr. Div. L. 3. c. 4. §. 72.* In 4tâ ratione ineptè à Jure necis ad Jus Commercii negativè infertur; Id quod patet exemplo servorum, qui Jure Romano liberè alienari poterant, sublato etiamnum jure vitæ & necis per Constitutionem Divi Antonini, de quâ in §. *2. Inst. de his, qui sui vel alien. jur.* Comparatio vitæ & libertatis innumeris instantiis infringi posset, sed illæ in vulgus notæ sunt. vid. Grot. *lib. 2. c. 24. §. 6.* Illud interim pro certo tenendum, illationem à Jure vitæ & necis ad potestatem alienandi ne quidem affirmativè procedere, id quod vel unico à subditis petito exemplo manifestum evadit. Ad *6* ℞. utut urgentis famis necessitas occasionem præbeat patri, Jus suum vi Imperii Paterni competens circa liberos exercendi, id tamen ita crudè accipiendum non est, ac si necessitas hic Jus quoddam Extraordinarium à Jure Naturæ devians tribueret; Quod si enim propter necessitatem actus quidam excusationem merentur, exinde non statim inferendum, quòd hæc principium & causam, per quam & à quâ actus ille emanat, constituat. Id sanè necessitas non efficit, ut directò Lex hic & nunc possit violari, seu id, quod naturâ illicitum est, admitti, sed ex benevolâ LLatorum mente, simulque naturæ humanæ consideratione præsumitur, casum Necessitatis sub lege generaliter conceptâ non contineri. Consent. Henning. *ad Grot. lib. 2. c. 11. §. 16. Necessitas non est principum agens hujus venditionis, sed causa Impulsiva, quam alia Efficiens legitimare debet.* add. omninò in simili Anonym. *d. Dissert. de Dom. Eminent. c. 4. §. 6.* Dn. D. Osiand. *ad Grot. lib. 1. c. 1. th. 6.* Hornius *de Civit. cap. 4. n. 4.*

XI. Hactenus de Commercio circa liberos parentibus Jure Naturali competente; Cujus usus & applicatio, si mera ejus principia spectes, eò rarior, quò frequentius, post introductas civitates, à Summo Imperio Civili eidem peculiaribus LL. atque institutis additum aliquid vel detractum fuisse constat. Postquam enim in civitatem transeuntes omnem potestatem in se, quantum quidem ad naturam Civitatis necessarium erat, transtulerunt, simul quoque potestatem, quam in alios habebant, supremæ Imperantium dispositioni subjecisse videntur, quorum determinatione effectum, ut jam plus minusve parentibus in liberos licuerit; Nimis longum foret, singula Gentium populorumque, quæ de distractione liberorum extant, placita hic re-

ferre; de Thebanis vid. Ælian. *lib. 2. cap. 7.* de Athenienſibus Plutarch. *in Solone.* de Phrygibus Philoſtratus *in vita Apollonii Thyanæi lib. 8.* de Hebræis *Levit. 25. v. 39.* Exod. *21. v. 7.* de Thracibus Herodot. *lib. 5.* de Moſcovitis, quæ ex Sigiſm. Baronis ab Herberſtein *Comm. Rer. Moſcov.* & Olear. *Itin. Perſic. l. 3. c. 6.* de Chinenſibus itidem collegit Dn. Pufendorf. *lib. 6. c. 2. §. 9.* add. Guagnin. *deſcr. Moſcov. c. 4.* Tiraq. *de retr. Lignag. §. 26. num. 17.*

XII. Quod ſi LL. Romanorum evolvamus, antiquiſſimis temporibus plus juſto indulſiſſe videtur inſtitutum Romuli, qui Patri conceſſit ternâ filii venditione pecuniam quærere, majorem hoc ipſo largitus poteſtatem patri in filium, quàm hero in mancipium. not. Dionyſ. Halicarn. *lib. 2.* Quod ipſum tamen poſtea mitigavit Imp. Conſtantinus in *L. 2. C. de patr. qui fil. diſtrax.* ubi permittit Patri, propter nimiam egeſtatem, victus causâ, filium filiamve ſanguinolentos vendere, eâ lege, ut ſi pretium emptori offeratur, abs quolibet ingenuitati iterum poſſint reſtitui. Ubi verò urgens ejusmodi neceſſitas non ſubeſt, diſtractio liberorum manet ſub prohibitione Legis, omnisque parentibus facultas alienandi adempta cenſetur, per regul. *L. 1. eod.* ubi ita Impp. *Liberos à parentibus neque venditionis neque donationis titulo, neque pignoris jure, aut alio quolibet modo, nec ſub prætextu ignorantiæ accipientis, in alium transferri poſſe, manifeſtiſſimum eſt.* jung. *l. 1. C. de lib. cauſ.* adeò ut creditor, qui ſciens filiumfamilias à parente pignori accepit, relegetur. *L. fin. ff. quæ res pign.* Neguz. *de pign. Membr. 3. p. 2. n. 50.*

XIII. Quod de Venditione nominatim exprimitur in *d. l. 2.* ad oppignorationem quoque pertinere, cum Covarruv. *Var. Reſ. l. 3. c. 14. n. 4. vers tertiò.* Bach. *de pignor. & hyp. l. 7. c. 12. n. 3.* Merlin. *de pign. l. 2. tit. 1. Qu. 50. n. 77.* Brunnemann. & Sich. ad *d. l. 2. n. 6.* & de permutatione, ob rationis identitatem, æquè ſubaudiendum eſſe, arbitramur, cum Pinell. *de bon. Mat. p. 2. Rubr. n. 27.* Surd. *de Alim. Tit. 8. priv. 38. n. 12.* Brunn. *d. l.* & Hahn. *ad Weſ. tit. de his qui ſui vel al. jur. p. m. 112.* An & ad obſidium ſ. obſidis dationem extendi queat? magis controvertitur. Neg. Gothofr. *ad d. l. fin. ff. quæ res pign. lit. f.* eò quòd obſidis durior ſit conditio, quàm ſimpliciter nexi. Sed inſuper habitâ hac ratione, nobis videtur, facultatem obſides dandi Imperio paterno non contineri. Illuſtria quidem, filiorum à parentibus obſidum

dum loco traditorum, exempla omnis ævi historia suppeditat; vid. *Liv. l. 33. c. 16. l. 34. c. 34.* Bodin. *de Rep. L. 5. c. 6. p. m. 595.* & adhucdum superiori seculo Franciscum I. Galliarum Regem, certis conditionibus, postquàm fidem Cæsari Carolo V. dedisset, liberatum, & Hispaniæ finibus egredientem, Franciscum Delphinum, & Henricum Aurelianensem valdè parvulos obsides dedisse, refert Sleidan. *Coment. de Stat. Rel. & Rep. lib. 6 p. 147.* Verùm hæc ad Imperium Civile, cujus pars potestatem in personas complectitur, & per dationem obsidum exercetur, non ad illam, de quâ in *d. l. 2.* agitur, liberos alienandi facultatem, pertinent. Non æquè aliena ab hoc loco est quæstio: An licentia vendendi, de quâ in *d. l. 2.* ad casus similes, ut si pater non quidem famis & inediæ, sed aliâ quadam insigni necessitate urgeatur, extendi queat? Affirmativæ cum Salyc. & nonnullis è Vett. accedit Sich. *ad d. l. 2. n. 9.* ubi, si pater ab hostibus Christiani nominis captus ibidemque periturus sit, nisi certâ pecuniâ redimatur, filium vendi, & ex hâc venditione pretium pro redimendo patre conflari posse, in terminis asserit; & de alio quocunque præsentissimo mortis periculo idem dicendum esse putant Pinell. Surd. Molin. *de J. & J. D. 33. n. 27.* Verùm cùm Impp. in *d. l.* taxativè loquantur, verb. *venditione in hoc tantummodò casu valente &c.* & aliàs quoque ea, quæ contra Juris rationem introducta sunt, ad consequentiam producenda non sint, *l. 141. de R. J.* nec quæ propter necessitatem introducta sunt, in argumentum trahi debeant, *l. 162. eod. c. 78. de R. J. in 6to.* tutius reputamus, id quod intuitu hujus necessitatis contra regulam *l. 1. C. d. t.* introductum est, ad alios casus non producere; Adstipulantur Covarruv. *d. l. 3. c. 14. n. 4 vers. tertiò.* Perez. *ad tit. C. de patr. qui fil. distr. num. 4.* Merlin. *d. tract. l. 2. tit. 1. q. 50. n. 19.* Clement. *de patr. potest. c. 6. n. 6. & seqq.* Brunnem. *d. l.*

XIV. An ea, quæ de distractione Liberorum in casu Necessitatis Jure Romano concessâ, hucusque exposuimus, hodiè adhuc usum quendam habeant, dubitari posset? Equidem hodiè haud amplius licere Patribus filios propter egestatem distrahere, post Perezium contendit Grœneweg. *de LL. abrog. ad tit. C. de patr. qui fil. distr.* Struv. *Exerc. ad π. 3. 39.* Usuque inter Christianos venditionem Liberorum receptam non esse, pariter asserunt Zepper. *de Collat. LL. Mosaic. forens. & Roman. Lib. 1. Reg. 6. lit. g.* Eisenhart *de Jur. Neceß. c. 6. §. 16.*

Verùm quantumvis aliàs in probandâ LL. Romanarum obſervantiâ authoritatibus Dd. non poſtremus ſit aſſignandus locus, veremur tamen, ne nimis faciles ſeſe præbeant, qui inter abrogata illicò referunt, quæ unus vel alter non quotidiè apud ſuos frequentari vidit. Exempla alienatorum Liberorum non facilè occurrere, nec etiam frequenter occurrere poſſe, eò quod urgenti illi famis neceſſitati, quam LL. Romanæ ſupponunt, hodiè inter populos Chriſtianæ Religioni addictos per ptochotrophia & Xenodochia, in quibus egenis alimenta vel ad dies vitæ, vel ad certum tempus præbentur, ubique ferè occurratur, vid. *c. 3. de V. S. in 6to.* ipſi agnoſcimus, ſed an propterea, quòd factum, cui jus applicandum, raró contingat, ipſum Jus ceſſare dicemus?

XV. Tantùm de Societate Paternâ & in eadem Patri vi Imperii Paterni tàm J. N. quàm Civ. competente liberos distrahendi facultate. Succedit tertia ſocietatum ſimplicium ſpecies, Herilis. Sed cùm in hâc, poſtquàm ſemel conſtituta eſt, non niſi de Jure & poteſtate Domini in ſervum, ejusque amplitudine quæri poſſit, nobis econtra propoſitum ſit inquirere in Jus circa perſonas liberas naturaliter vel LL. civilibus indultum, ad Cauſam Efficientem illam non æquè ac priores ſpectare, cuilibet obvium eſt. Quæ enim hodienum Dominis in famulos pro mercede quidem inſervientes, ſed reverâ liberos, queis cum ſervis, quos Romani inſtar reliquorum Inſtrumentorum familiæ venales habuere, præter nomen ferè nil commune eſt, competit poteſtas, ad Commercium usque facultatemve alienandi non porrigitur. Stamm. *de Servit. perſon. Lib 2. c. 1. n. 3.* an Domini operas eorum aliis delegare queant? vid. Idem *Cap. 5. per tot.* Reut. *de Alien. p. 1. c. 3. ſect. 11. n. 2.* Quòd ſi tn. Societatem Herilem ut ex cauſis ſuis adhuc conſtituendam hîc contemplemur, & diverſos, quibus Domino poteſtas in ſervum acquiritur, modos percurramus, circa illum, quo quis per voluntariam ſubjectionem alteri ſe totum addicit, nonnulla ad argumentum noſtrum ſpectare, & pleniorem diſcuſſionem mereri videntur. Et primò quidem circa poteſtatem, quam unusquisque ſibi circa ſe ipſum aſſerit, inſpiciendum, an illa eo usque pateat, ut quis Libertatem venalem habere cenſeatur? ſive quod eò recurrit, an Liber homo ſui Juris actiones ſuas ſub dominio propriæ rationis & quodammodo poteſtatem in ſeipſum ita habere dicatur, ut ob conſequenda eò facilius vitæ ſubſidia eandem in alium plenè trans-

transſcribere, & ſeſe alteri in perfectam ſervitutem ſpontè, mediantè pacto, dare poſſit? Naturaliter id licere, cum Grotio *Lib. 1. c. 3. §. 8. & lib. 2. c. 5. §. 27.* Aff. Dn. Puſend. *d. J. N. & G. Lib. 6. c. 3. §. 4.* Reuter *de Alien. part. 1. cap. 3. ſect. 2.* D. Simon. *in Diſp. de Juſt. hom. circa membra ſua Cap. 7. §. 1.* Quid Hebræorum LL. hâc de re cautum fuerit, apparet ex Loc. *Deut. 15. v. 12. Lev. 25. v. 39.* vid. tamen Selden. *de I. N. & G. lib. 6. c. 7.* ut & de aliis conditionibus commercio huic annexis, dd. txx. junct. *Exod. 21. v. 2.* Priſcis quoque Germanorum temporibus taleCommercium circa libertatem obtinuiſſe, multi conjiciunt ex loco Tacit. *de Morib. German. cap. 24. Aleam, (quod mirère) ſobrii inter ſeria exercent, tantâ lucrandi perdendive temeritate, ut cùm omnia defecerunt, extremo ac noviſſimo jactu de libertate & de corpore contendant. Victus voluntariam ſervitutem adit: quamvis junior, quamvis robuſtior, alligari ſe ac venire patitur; ea eſt in re prava pervicacia: ipſi fidem vocant. Servos conditionis hujus per commercia tradunt, ut ſe quoque pudore victoriæ exolvant.*

XVI. An & Jure Romano Libero homini integrum fuerit ſeipſum in Commercium deducere, & per Venditionem aliumve contractûm plenè ſeſe alteri addicere? inter ejusdem Interpp. diſceptari ſolet. Quidam id Jure Juſtinianeo licuiſſe putant, per *§. 4. J. de Jur. perſ. l. 5. §. 1. l. 25. ff. de Stat. hom.* & Jure demum noviſſimo per Nov. Leon. 59. contrarium introductum fuiſſe autumant. At verò nil cauſæ ſubeſt, cur ad Jus authoritate hactenus apud nos deſtitutum, v. poſt Rittersh. Stephan. B. Lauterb. *Concl. for. Ex. 1. th. 12. lit. a.* confugiamus, cùm diſerti txx. proſtent, quibus conventio factumve, quo quis alteri ſeſe in ſervitutem addicit, reprobantur, in *l. 37. ff. l. 10. C. de lib. cauſ.* Neque contrarium ex alleg. *l. 5. & 21.* evincitur; Quamvis enim ibidem in ſervitutem redigi dicatur, qui ſui ſtatus ſat gnarus, *l. 4. ff. quib. ad lib. procl.* poſt 20. ætatis annum, *§. 4. I. de I. perſ.* in ſui venditionem, cum emptore ignorante contractam, *l. 70. de Contr. Empt.* conſenſit, & de pretio verè participavit, *l. 1. ff. quib. ad lib. procl. l. 5. C. de lib. cauſ.* adeò, ut nec per provocationem eâdem eximi, nec per inſecutam manumiſſionem primævæ ingenuitati reſtitui poſſit. *d. l. 4. d. l. 21.* id tamen non ad validitatem conventionis & exinde reſultantem effectum trahendum, ſed potius ipſi legi, factum indignum leviſſimorum hominum, felicem naſcendi ſortem aſpernantium, hoc ipſo tanquam pœnâ coërcenti, adſcribendum eſſe, obſerv. Harppr.

Frantzk. Struv. B. Lauterb. *in Disp. de Contract. th. 26.* Non arridet hæc explicatio Wæchtlero *in Lect. Grot. ad L. 1. c. 3. §. 8. n. 1.* qui non capit, quomodo pœnæ propriè sic dictæ respectus esse possit in supposito casu, cùm ratum habeatur, quod actum est, nec id ullà ratione LL. irritari velint. Ast nec nos capimus, quæ sit illa, ab ademptione libertatis, denegatâ proclamatione & restitutione, ad validitatem ipsius negotii concludendi ratio; merito suo servitute plectitur, & indignus libertate judicatur, qui certam ejus possessionem sponte contemnit, *arg. l. 4. in f. ff. quib. ad lib. procl.* ad quem effectum producendum sufficit vilem hunc & abjectum animum per actum voluntatis quemcunque declarasse; prout nec alias infrequens in jure nostro est, actum ad declarationem voluntatis nostræ sufficere, & quoad hunc effectum à lege sustineri, licet cæteroquin pro invalido habeatur. v. *l. 20. 24. §. 1. ff. de adim. & transf. leg.*

XVII. Et hæc de Commercio Liberi hominis circa seipsum ad ductum Juris Romani. Ne verò in eorundem expositione, tanquam in materiâ, quæ præter levem quandam obsoletæ antiquitatis cognitionem nihil ampliùs momenti, utilitatis nihil afferat, operam superfluam collocasse videamur (hodie enim servitutes non solùm inter Germanos, sed omnes ferè populos moratiores Europæ, vid. tamen, quæ de usu earundem inter Christianos & Mahumetistas, aliosque populos infideles not. Alber. Gentil. *de Jur. Bell. Lib. 3. c. 9.* Ludw. *de Ult. Vol. c. 2.* Vinn. *ad §. 2. I. de Jur. Pers.* Dn. Textor *Syn. Jur. Gent. c. 18. n. 24.* add. omninò Bachov. *ad Tr. v. 1. D. 1. th. 9. Lit. b.* Dn. Schilter. *Ex. ad ff. 3. th. 1.* Servitutes velut ex communi qs. decreto cessasse, quis ignorat?) ad usum nostrorum temporum hactenus dicta attemperare tentabimus. Cùm enim in multis Germaniæ locis servitutis reliquiæ adhucdum remanserint in his, qui dicuntur homines proprii, Leibeigene Leute / conditio verò eorundem non minus ac pristinorum servorum ex variis causarum figuris proveniat, frequenter à Dd. quæri solet: An Ingenuus & sui juris hodiè per conventionem alterius homo proprius fieri possit? In Negat. transit Bald. ad *l. fin. C. de Transact.* Affirm. post plures à se alleg. Stamm. *de Servit. Pers. Lib. 3. c. 12. n. 3. & seqq.* Gail. *de Arrest. Imp. c. 6. n. 23.* Balthas. *Pr. Ref. Tit. 4. Ref. 7. n. 2.* Mev. *p. 1. dec. 135. n. 1.* Melius fortassis rem expediunt, qui pro diversimodâ, quam homines proprii in hâc vel illâ provinciâ subeunt, conditione, distinctè pronuntiant. Constat quippe quorundam

Statum adeò aggravatum esse, ut à servitute, qualis illa apud Romanos viguit, parum distet; Imò melioris conditionis fuisse quosdam Romanorum servos, quàm hodiè quibusdam in locis Rusticos, conqueritur Coler. *de proc. Execut. p. 1. c. 9. n. 68.* Quàm proximè in Marchiâ Brandenburgicâ ad conditionem servorum Romanorum accedant, ex Schepliz. refert Exc. Dn. D. Harppr. *in praef. Disp. prioris de Jur. Mort.* Quàm durè tàm quoad res, quàm personas, habeantur in Ducatibus Pomeraniae & Megapolitano, testatur Mevius in dem Bedencken von dem Zustand und Abfolg der Bauersleute & *Conf. 66 n. 4.* Quod si igitur quaeratur de duro hoc & pristinae servituti tàm proximè accedente Statu, an per conventionem homo ingenus ejusmodi conditionem adhuc hodiè in se recipere possit? eundem ne quidem illo in loco, ubi tale genus propriorum hominum toleratur, nisi fortè inveteratâ & non interruptâ consuetudine aliud introductum esse probetur, pacto suo obligari, certò nobis persuasum habemus, secuti Reuter. *de Alien. p. 1. c. 3. sect 4.* Ut enim servitus, indubitatâ totius ferè Germaniae Consuetudine sublata, iterum reviviscat, & ad Jus antiquum aliqualis detur reditus, non id pactis privatorum, quae jura publicè constituta haud infringere valent *l. 38. ff. de pact. l. 20. ff. de rel. & sumt. fun.* add. Vinn. *de pact. cap. 18. n. 1. & seqq.* sed Lege aut Consuetudine contrariâ effici debet. Et quamvis regeri possit, non unam eandemque esse hominum propriorum & servorum, quales Romani habuere, rationem, ac proindè ab abrogatione servitutis Romanae ad abrogationem servitutis hujus analogae, quae in hominibus propriis conspicitur, haud firmiter inferri. Sciendum tamen, id ipsum, quod differentiam quandam inter utrasque has servitutum species constituit, tanti non esse, ut diversitatem Status inducat, & ipsam essentiam efficiat. Habet quoque servitus suos gradus & quandam latitudinem, juxta illud vulgatum: *Dominus Domino, servusq; praeferendus est servo.* Et Romani quoque ordinem inter eos agnovere, prout videre est ex *l. 15. §. 2. ff. de usufr. l. 17. ff. de pecul.* & integ. tract. Titi Popmae *de Oper. serv.* quos tamen essentiâ aut specie à se invicem distinctos non fuisse, apparet ex *§. fin. I. de Jur. pers.* Conf. omninò Strauch. *de Metrop. Beryt. c. 2. §. 17. & seqq.* Objic. porrò: non videri contra legem pacisci, qui talem in se recipit conditionem, quam LL. publicae confirmant, atque in robore suo perdurare enixè volunt; expreßè namq; dominis jus in proprios homines competens reservari &

stabiliri in Rec. Imp. *de A. 1555.* §. Wo aber unsern ibi: doch soll den Obrigkeiten an ihren Gerechtigkeiten und herkommen der Leibeigenen halben / dieselbe ledig zu zehlen oder nicht /, hierdurch nichts abgebrochen oder benommen seyn. ℞. Nulla est connexionis ratio; Etiam Romani rigorosam illam servitutem in Rep. suâ tolerarunt, nec tamen modos eandem constituendi arbitrio privatorum reliquerunt. Malè præterea infertur à lege ad pactum affirmativè. Coler. *de proc. Exec. p. 1. c. 8. num. 59.* facilius obligatio nascitura impeditur, quàm jam nata extinguitur, & jus alteri quæsitum aufertur. Haud sanè consultum erat, omnes homines proprios Lege publicâ in Imp. Germ. libertate donare, ob insigne præjudicium, quod inde sensissent multi Principum & Nobilium, quorum magna sæpè proventuum pars hujusmodi hominum servitiis continetur. Atque hanc rationem subfuisse credibile est, quare eos conditioni suæ relinqui necessum fuit. Alia longè ratio est hominum propriorum, qui dominis suis non nisi ratione agrorum, aut fundi alicujus ab ipsis possessi, operas præstare tenentur, die auff dienstbaren Gütern sitzen / adeòque non obstantibus servitiis, quibus Dominis suis obstricti sunt, propius liberis quàm servis accedunt, (id quod tamen ex pactorum tenore, statutis & Consuetudinibus potissimùm metiendum esse, docet Stamm. *d. tract. lib. 3. c. 2. n. fin*) & de horum conditione dubitandum non est, quin liber homo per conventionem quoque eidem sese subjicere possit. Conf. supr. pro Affirm. *alleg. auth.*

XVIII. Minus dubii habent illa pacta & conventiones, quibus Liber homo non omnimodam libertatem à se abdicat, vel se totum alteri addicit, sed restrictionem saltem quandam patitur, &, (ut loquamur cum Grotio) nonnisi particulam ejusdem in alterum transferre intendit. Id quod iterum multis modis effici potest; Exemplo sit is, qui per pactum ad operas alteri præstandas sese obligat, vel purè & directo; vel sub conditione & in casum non soluti debiti; Coler. *d. tract. p. 2. c. 9. n. 29.* Gratian. *Disc. for. Tom. 1. c. 185. num. 34.* Mevius *in Discurs.. Lev. Inop. debit. cap. 4. n. 21.* non temporarias tantùm, quod fit hodiè à mercenariis & famulis rei nostræ familiari pro mercede inservientibus, Reuter. *d. tract. p. 1. c. 3. sect. 8.* sed & perpetuas; arg. *l. un. C. de Mendic. Val. l. 22. C. de agr. & cens.* prout pacti hujus validitatem contra Salicetum, Sichardum, & alios plures dissentientes, cum Colero *d. tr. p. 1. c. 9. num. 29.* Gratian. *d. l. num. 24.*

Frantzkio

Frantzkio B.Lauterb.*ad tit.ff.Locat.* §.*1.num.23.* latè defendit Facult. Jurid.SeniorDn.D.Bardili *in disp. deOblig.faciendi th.32.* & *seqq.* add. Ziegler.*adGrot.lib.2.c.5.*§.*27.* Reuter. *de Alien.p.1.c. 3. Sect.8.n.7.*Modò operæ sint honestæ,nec LL. bonisque moribus contrariæ. arg.*l.15. ff. de Cond. Inst.L.38.ff.de oper. lib.* Tales autem censentur, non solùm, quæ commodum personale Domini aut patrimonii augmentum concernunt, sed & quæ ad exhilaratione & recreationem animi exhibentur à voluptatis artificibus, uti ejusmodi genus hominum, qui variis artibus & jocis animos aliorum demulcere & devincire norunt, describitur à JCto in *l.7.* §.*5.ff. de Op.lib.* quales & publicè, & domi Romanos olim habuisse, ex txx. quibusdam Cod. Theodos. probat Gratian. *d.c.185.n.41.* & hodiè adhuc in Aulis principum & Magnatum ali, vulgòq; Schalcksnarren/vel quandoque civiliore vocabulo, kurtzweilige Räthe/ appellari, ac melioris sæpè conditionis esse quàm prudentes, contra *l.4 ff. qui vi aut clam. c.18. de præbend. in 6to.* experientia loquitur. add. quæ deNicolao quodam in divisione hereditatis Friderici Electoris Saxoniæ 80000. Thaler. æstimato, ex Zwingeri Theatr. vit. hum. refert Auth. *polit. Curios.p.404.* Extra Electorum & principum aulas si deprehendantur ejusmodi homunciones, nec dominum habeant, de cujus pane vivant, in dessen Brodt sie gehörig/ in Imp.nostro non tolerantur. R.A. *d.A.1530.tit.36.* §.*3. d.A.1548.tit.28.* §.*2.d. A.1577.tit.29.* §.*2.* Quid de locatione operarum ad remigandum in triremibus habendum sit? vid.Scacc.*deCommerc.* §.*1. Qu.1.n.556.* Merlin. *de pign.* & *hyp.l.2.t.1.q.50.n.76.* Gratian. *d.c.185.n.22.* Dn.Eisenhart. *Disp.deJur. Necess.c.5.*§.*14. in fin.* ubi eam, in casu inopiæ ad consequenda vitæ necessaria contractam, validam dicit. An in exemplum prædictorum trahi quoque possit, qui se ad sui detentionem obligat? hîc non incongruè jungitur. Plerique id simpliciter negant. Alii confusè incedunt, eoque quæstionem difficiliorem reddunt. Jure Naturæ facultatem libertatem eousque constringendi ademptam non esse, ex præcedentibus colligi potest. Jure Romano Distinguendum, an pactum ineatur super detentione privatâ,an publicâ. IlludLL.nostris prohibitum est,maximè si pignoris speciem præ se ferat, propter *l.6.C. quæ res pign.l.fin.ff.eod.* Hoc verò iisdem non repugnare, latè ex Coler. *de proc. exec.p. 1.c.6. n.45.* (cui add. Gœden. *Consf.103.n.56.*& *mult.seqq.*) ostendit Dn. D.Bardili *in cit.Disput.th.49.* qui & de aliâ, non adeò ab hoc loco

 alienâ,

alienâ, conventione, ubi debitor se in certo loco staturum, & antequam creditori satisfactum sit, ab illo non recessurum, promittit, ibidem consuli potest. *th. 53.* add. B. Lauterb. *de pœn. convent. th. 21.*

XIX. Latus hic porrò sese aperit campus inquirendi inplures alias conventionum formulas, quibus Liber homo corpus & Membra sua quodammodo obligat, seu, ut quidam loqui amant, carnem & corium in commercium quasi deducit, contra *l. 38. de oper. lib. l. 13. ff. ad L. Aquil.* sed de his & similibus post Balthasar. Gomez. *de potestate in se ipsum.* latè egerunt Dn. D. Stryck. *in disp. de Jur. Hom. in seipsum* & Dn. D. Simon *de Justit. hominis circa membra sua.* An quis per conventionem obligari possit, mortem vel vulnera inferenti non resistere? disquirit & negat. decidit Pufendorf. *Elem. Jurispr. Univers. Lib. 1. def. 12. & 33.* & de *I. N. & G. lib. 3. c. 7. n. 5.* Idem dicendum de obligatione sub pœnâ Banni Imperialis; Gail. *de pac. publ. lib. 2. c. 2. n. 13.* Coler. *d. tr. p. 1. c. 6. n. 30.* (vid. tamen Tabor. *de obstag. c. 3. §. 12. in fin.* ubi in Camerâ Imp. obligationes ejusmodi admissas fuisse testatur) mutilationis membri; uti quæstionem in facto de quodam, qui sub pœnâ amputationis manus veritatem fateri juratò promisit, propositam, decidit Guid. Pap. *Decis. 275.* & de conventione, quâ quis in certum eventum ad torturam subeundam sese adstringit; Unde super facto, quo duo captivi se invicem furti arguebant, initâ conventione, ut unus post alterum veritatis eruendæ gratiâ torturæ subjiceretur, daß einer einen Zug umb den andern leyden solte/ consulti Jenenses responderunt, Judicem ad neutrius torturam procedere posse. apud Coler. *d. Tract. c. 9. n. 52.* Par ratio est illorum, qui, in casum non impleti promissi, ad alapam ab altero excipiendam sese obligant. vid. Stryck. *de Alap. c. 3. n. 7. & seqq.* Diss. Bart. ad *L. 1. §. 2. ff. de Injur.* aut corpus membrave sua alteri ad quemlibet inhonestum & bonis moribus repugnantem usum porrigunt; ut si v. g. buccas quis inflet, & os alteri percutiendum præbeat, quod vulgo aufblasen vocamus; de quo vid. Hoppii *Disp. de Joco. c. 3. th. 18.*

XX. De Usu corporis, quem sequior sexus in actu venereo pro mercede amasiis præstat, an in classem Commercii illiciti collocari debeat? res non usquequaque expedita videtur. Equidem si Scholasticos & Theologos Pontificios consulamus, sat animosè illi respondent, nullam hîc versari ex parte meretricis, mercedem accipientis, turpitudinem. Thom. *2. Q. 62. art. 5.* neque agere eam contra justi-

justitiam, quasi vendendo usuram corporis, cùm actus ejusmodi, quà utilis & delectabilis, dignus sit pretio. vid. Soto *d. J. & J. Q. 4. art. 1.* Filliuc. *Tr. 31. c. 9. num. 230. & seqq.* Johan. de Lugo *Disput. 18. sect. 3. n. 46.* Covarruvias eò usque progreditur, ut meretrici dominium corporis, facultatemve vendendi actum venereum tanquam rem promercalem, tribuere non erubescat. Alii iterum non saltem hoc licere, sed teneri insuper meretricem, ubi semel impudicitiam professa, & infelicissima (utamur verbis Tertulliani) victima publicarum libidinum facta fuit, cuivis corpus suum ad demulcendos carnales pruritus concedere, impudentissimè asserunt. Verùm si horum opinio ad principia honestatis naturalis, (quæ non patitur, ut fœminis ad hoc à natura productis, ut sint causæ sociæ in procreatione liberorum, viri utantur promiscuè tanquam instrumentis libidinis, neque etiam è converso tantùm licentiæ indulget fœminis, ut corpora sua deliciarum duntaxat & voluptatis causa, gratis, aut pactâ mercede commodent, suâque impudicitia stipendia mereant, Conf. Pufend. *L. 6. c. 1. §. 4.* Feld. *Elem. Jpd. Univ p. 256. & seq.*) exigatur, falsa prorsus & erronea, si ad castitatem temporum nostrorum, sublata & explosa deprehenditur. vid. *Recess. Imp. de Anno 1577. tit. 26* von leichtfertiger Beywohnung. omninò Hahn. *ad Wesemb. tit. ff. d. cond. ob turp. caus. N. 2.* Brunneman. *ad l. 4. §. 3. ff. eod. tit.* ubi simul ad contraria Covarruv. argumenta prolixè respondet. Illud quidem diffiteri nequit, plus justo vagis ejusmodi libidinibus, publicam quasi iisdem securitatem præstando, indulsisse Romanos, uti id ipsum colligere est ex *d. l. 4. §. 3. de cond. ob turp. caus.* neque tamen Juris naturalis dictamen adeò circa hanc rem apud illos exolevit, ut inordinatos hos concubitus probarent; Turpiter enim facere meretricem, quòd sit meretrix, ipse Ulpianus *loc. cit.* pronunciat; Imò nec hoc Jure mercedem promissam, (vulgò den Hurenlohn) eandem exigere posse, contra Vasq. *Ill. controv. l. 1 c. 48. n. 5. & seq.* Gutier. *l. 2. Q. 1. Can. c. 10.* & Covar. *in c. peccatum de R. J. in 6. p. 252. n. 1. & seqq.* verius arbitramur, cum Duaren. Scip. Gentil. Hillig. *ad Donell. L. 14. c. 25. lit. f.* Hahn. & Brunnem. *d. l.*

XXI. Vidimus hucusque diversa Jura, Commercium Liberi Hominis tùm circa seipsum, tùm circa alios in societatibus simplicibus, vel permittentia, vel prohibentia; consequens est, ut ex lege partitionis supra th. IV. institutæ transeamus ad Societatem Civilem, quæ

consi-

consistit inter Imperantes & Subditos. Quid in hos Majestati liceat, definire arduum & ambiguum negotium est, & periculosum evadit insuper, ni recta judicia ab intempestis quorundam opinionibus secernantur. Curam Societatis Civilis absque potestate in personas subjectas expediri non posse, omnes agnoscunt. Sana quippe ratio dictitat, decus, pacem atque incolumitatem hujus Consociationis frustra intendi, nisi concessâ tali potestate, ut subditi ad Imperantis arbitrium se suasq; actiones componere teneantur, hicq; de illis, quæ ad commodum & salutem Societatis facere videntur, decernere possit. Sed quàm latè hæc potestas se extendat, & olim armis non minus quàm calamo decertatum fuit, & adhucdum hodiè acerrimè controvertitur. Nos jam non id agimus, ut universam ejus latitudinem per partes colligamus; potius intra terminos præsentis argumenti persistentes, in id saltem inquiremus, an sit aliquod Jus Commercii circa subditos? & unde sit, quòd Imperantes eos alienandi facultatem habere dicantur? Quod priorem & præjudicialem quæstionem attinet, non leves obversantur rationes, quæ subditos longè ab hac classe removere videntur. Prima eò tendit, quòd Liber Homo, ex dignitate Naturæ Nationalis, super omnes res Dominii & Commercii receptibiles collocatus, conf. Gothofr. ad *l. 44. pr. ff. de ædil. Edict.* hocque loco prærogativæ à Creatore suo habere videatur, ut in ejus ministerium usumve reliquæ res & creaturæ ignobiliores cedant, fac. §. *37. J. de Rerum Div.* is verò non nisi propter Deum esse dicatur. Gœdd. *ad l. 5. de V. S. n. 11. & de contrah. stipul. c. 6. concl. 2. n. 38.* Augustin. *de Civit. Dei lib. 19. c. 15.* ubi dicit: *Rationalem, factum ad imaginem suam, Deum noluisse nisi irrationalibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori.* absurdum proinde & contra dignitatem hominis esse, ut is, cui datum est in cætera jus & imperium, vid. *Ps. 8. v. 7. & seqq.* patrimonii Jure censeatur, cùm ejus gratiâ natura omnia produxerit; Tulden *de princip. Jurispr. Lib. 22. c. 13.* Ex quo jam porrò fluit, quòd dominium propriè non nisi in rebus, Dn. Pufend. *de J. N. & G. Lib. 7. cap. 6. §. 16.* & homines non prout aliæ res, ut teneantur & vendantur, à naturâ producti intelligantur. Perez. *ad tit. C. de patr. qui fil. distr. in fin.* Secundò contradictionem implicare videtur, Imp. Civ. & simul Comercio Imperantium subesse. Confundunt hæc diversa Societatis Herilis & Civilis Jura. Hujus proprium est Libertatem salvam Civibus relinquere,

quam

quam negare videntur, qui hanc sibi de subditis disponendi facultatem arrogant. Inter firmissima libertatis fundamenta computat Cic. *sui Juris & retinendi & dimittendi esse Dominum; in Or. pro Balbo.* Hæc everti manifestum est, quamprimum cives venales ab Imperantib. habetur. Et quid inter erit amplius inter Cives & despectissima mancipia, si idem illis, quod servis pati necesse est. Sed nec Tertiò terminus Imperii talem potestatem, quæ jus Commercii alienandive involvat, exprimere videtur. Ut enim hoc competat, dominium in personas supponi debet, id quod Principi aut Reipubl. neminem hactenus concedere ausum fuisse, putat Lyserus *in Diss. de Imp. contra Domin. Emin.* §. 24. Hennig. *ad Grot. l. 3. c. 20. §. 6. Dominium in personam non datur, sed Imperium, cujus objectum rationale est: cæteras res dominium afficit.* Acriter hinc Miltonius in defensione populi Anglicani in Salmasium, qui *in Defens. Reg. c. 1.* inter alia tradit: Concilium illud Anglicanum & nefariam exercitus conspirationem non potuisse gravius Remp. lædere, quàm legitimum ejus Dominum tollendo, invehitur: *Disce verna, disce Mastigia, nisi Dominum tollis, tollis Rempubl. privata res est, non publica, quæ Dominum habet.* Et quamvis vulgari loquendi modo subditi in Regis vel Principis ditione & potestate esse dicantur, tamen multò magis in ejus fide & clientelâ, neque tam ejus potestati permissi, quàm fidei & benevolentiæ commissi intelliguntur. Hottom. *Ill. Qu. 1.* A quo non abludit Bartol. de las Casas *in Expl. Qu. Utrum Reges vel Principes jure aliquo vel titulo, & salvâ conscientiâ Cives & subditos à Regiâ Coronâ alienare, & alterius Domini particularis ditioni subjicere possint. §. 5. num. 1. Unde constat, Reges & Principes propriè loquendo non esse Dominos Regnorum, sed Rectores, præpositos, Administratoresque Rerumpublicarum.* & §. *3. n. 3. & 4.* ubi non obstare dicit, quòd Reges dicant, Regnum esse suum, quia id intelligatur eorum esse, non nisi quoad Jurisdictionem & protectionem. Pronomina enim ista meum & tuum non semper denotare proprietatem rei, cui adjunguntur, sed quandoque designare Dominium respectu Jurisdictionis vel gubernationis, non secus ac in LL. Romanis Tutor Dominus vocetur ratione Administrationis *in l. 56. §. 4. ff. de furt. l. 7. §. 3. ff. pro Emtor.* omninò huc pertinet loc. Senec. *1. de Clement. 26.* ex quo *Princeps, qui Dominationis etiam arcanis conspicitur absolutissimus, intelliget, non suam esse Rempubl. sed se Reip. Divinam futuram potentiam suam, si gregatim servet; simul & illud ponderabit, non unius tantùm hominis*

peculiarem possessionem principatum esse: sed communem antiquitus totius populi, in eoque sitam esse Imperii fortunam, sibi autem dispensationem tantùm atque administrationem principatus esse commissam. Quartò præposterum & naturæ contrarium videtur, ut subditi sint in Commercio Imperantium, eò quòd subditi non Regum causâ, sed è contrariò Reges subditorum causâ esse censeantur, possintque subditi esse sine Regibus, non verò hi sine illis. Hottom. *d. Qu. 1.* latè Vasq. *Illustr. Controv. c. 1. & c. 4. n. 3.* Unde Cic. *1. Offic. uti tutela, ita procuratio Reip. ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa, gerenda est.* Quintò conceßâ hâc alienandi facultate, possent fortassis subditi in ditionem Principis transire, qui suâ potentiâ ad Tyrañidem abuteretur, ex quo durior redderetur conditio ingenuorum & liberorum hominum, quàm olim Jure Romano fuit libertorum, de quibus in *l. 24. §. ult. l. 34 pr. de fid. libert. l. pen. C. de oper. lib.*

XXII. Verùm utut hæc speciosè dicantur, ad destruendum tamen illud, quod nos circa subditos intendimus, Commercium, haud quaquam sufficiunt. Nam à primâ ratione ut incipiamus, fatendum quidem, diversam planè à reliquis rebus creatis hominem omnium Creaturarum nobilissimam, nactum fuisse conditionem, sed anne præcisè talem obtinuerit, quâ à rebus commercio subditis & quoad actum & quoad aptitudinem in totum sejunctus intelligi debeat, valde dubitamus? Scimus & inæqualitatem, quæ nunc in diversis statibus sese conspiciendam præbet, primævæ hominum conditioni opponi, eò quod natura æquales omnes produxerit, & libertatem omnibus in æquo posuerit, exinde tamen nullatenus inferendum, primævas hasce qualitates impedimento fuisse, quò minus homo ad illam, quæ post introductas Societates inter Dominum & Servum, Imperantes & Parentes, non absque insigni libertatis diminutione resultavit, inæqualitatem subeundam aptus censeri potuerit. Et posito vel maximè etiam hoc nostro circa hominem liberum commercio, non eò is omni statim, quam à Creatore nactus est, prærogativâ exuitur, nec in infimam protinus reliquarum Creaturarum classem dejicitur. Plura ad huc de se novit & sentit, quorum intuitu cæteras res creatas ceu inferioris notæ machinas præ se jure meritoque despicit. Nec is ideò propter Deum esse desinit, quòd in alterius potestatem & commercium transeat; præterquàm enim quòd Jus illud, quod homo sibi circa alterum vindicat, cum universali illo Dominio, Deo T.O.

M. in

M. in omnes res creatas competente, benè consistere possit, etiam illi, qui subordinatæ humanæ potestati plenè subsunt, non minus arctâ obligatione ac reliqui, Creatori suo devincti censentur. Ut is enim universa propter semetipsum & in sui gloriam fecit, *Prov. 16. v. 4.* Ita propter semetipsum quoque & in sui nominis gloriam iisdem dominatur, Dominioque suo & Imperio gloriosa, quibus præ omni terrenâ potestate eminet, attributa egregiè ostendit. Conf. Dign. Dn. D. Hæberlin. *Disp. de Jur. Dei in Creat. art. 7. num. 99.* Ad id, quo dictum, Dominium non nisi in rebus intelligi, multa reponi possent. Sed hactenus præmonuisse sufficiat, Commercium, quod Imperantes circa subditos exercent, meram alienationem personarum habendam non esse; subesse enim & hîc aliquid, quod vicem rei subeat, jus nimirum regendi, indicat Grotius *lib. 1. c. 3. §. 12.* Quod ergò Dominium vulgò non nisi de rebus prædicatur, non eò pertinet, ac si circa personas id nullâ ratione competere posset, sed exercitium ejus & effectum potissimùm spectat; Res quippe ita ad nos pertinere possunt, ut pro lubitu illis non uti solùm, sed & abuti queamus, ideò quia regulariter nullum illis Jus inhæret, quod liberrimum hoc disponendi arbitrium restringat. Quæ ipsa licentia abutendi licet Jus homini in hominem quæsitum non concomitetur, hoc ipso tamen hic commercio non prorsus eximitur. Ne Jure Romano quidem vaga planè & liberrima, quæ dominio aliarum rerum inest, ad abusum usque disponendi facultas domino circa servum indulta fuit, vid. *l. un. C. de Emend. serv. l. 1. §. 2. ff. ad l. Cornel. de Sicar. l. 23. § 9. ff. ad l. Aquil. §. 2. I. de his qui sui vel alieni Jur. l. 15. §. 1. ff. de Usufr.* quo tamen Jure servos verè in dominio, rebusque in patrimonio existentibus annumeratos fuisse, in dubium vocare non licet. add. Senec. *de benef. lib. 7. c. 12. Non est argumentum, ideò aliquid tuum non esse, quia vendere, quia consumere, quia mutare in deterius aut melius non potes. Tuum enim est etiam, quod sub certâ lege Tuum est.*

XXIII. Ad 2dam in contrarium allatam rationem Resp. omninò confundere differentiam Imperiorum Herilium & Civilium, qui eandem ex affectione illâ, an in patrimonio sint vel non, solùm metiuntur. Dudum explosa est illorum opinio, qui regna patrimonialia eadem cum Despoticis statuunt, Civilia verò cuncta usufructuaria esse contendunt. Verum id est ex eorum genere, quæ ut plurimùm, non quæ semper vera sunt; potest sub Imperio patrimoniali esse li-

 bertas,

bertas, poteſt eſſe & ſervitus. Et quemadmodum nil vetat, herilia Imperia quaſi per modum uſusfructus teneri, ita ut alienandi tàm inter vivos quàm poſt mortem poteſtas ultimo cuique Imperanti negetur; Ita quoque è contrario Civilia Regna in patrimonio haberi poſſe, innumeris ferè ex hiſtoriâ hinc inde petitis exemplis oſtendi poſſet. De Friſia admodùm notabilia refert Huberus *de Jur. Civit. Lib. 1. c. 39. Hæc provincia Jus αὐθεντικὸν Imperii tribuit Dominis prædiorum Immobilium, quibus Jus ſuffragii cohæret, quæ ſpecies Juris imperandi eſt patrimonialis Ariſtocratica, quia omnes & ſinguli, ut pars longè minor populi, Jus hoc habent in patrimonio, pari ſcil. Jure, quo prædia habentur; ita ut teſtamento & ab inteſtato, nec minus inter vivos unà cum prædiis transferri poſſit, omnique die transferatur; Non tamen absque prædiis, vel ſeorſim ab illis, quia Lege fundamentali prædiis cohæret, nec ab ullo, niſi quatenus eſt prædii Dominus aut Domini hâc parte Jus habet, exercere poteſt. Jus ergo quod ſinguli proprio Jure habent, in patrimonio quoque univerſorum eſt; ſiquidem univerſitas è ſingulis componitur, & Jus omnium in unum cöaleſcit: Unde ſequitur, illos immobilium poſſeſſores habere facultatem, verum Jus ſummæ poteſtatis in alios pauciores transferendi. Id quod in Regnis non patrimonialibus haud licere conſtat. Poteſtas quoque alienandi partem Territorii aut Patrimonium populi illis duntaxat, qui prædicta prædia in Dominio habent, competit. Cave autem putes ex eo, quod hoc genus Imperii patrimoniale diximus, ſequi, Dominos prædiorum uti poſſe Jure Deſpotico ſive herili adverſus reliquos Civitatis conſortes, ex illo Jure Patrimoniali, tametſi facilis harum rerum ſit conjunctio, Patrimonialis inquam & Herilis Imperii.* Quemadmodum igitur modus habendi Imperium plenus vel minus plenus cum Imperio Civili benè conſiſtere poteſt; Ita nec ex hâc ſolâ affectione extrinſecus eidem accedente ſubditorum libertas vel ſervitus (ſubaudi perſonalis) æſtimari debet; Indignum hinc videtur Puſendorf. *de I. N. & G. lib. 6. cap. 7. §. 1.* Cives ſub abſoluto Monarchâ viventes illico mancipiis viliſſimis, quibus contra Imperantis nutum vix reſpirare integrum eſt, comparare, & juxta Claudianum:

Fallitur egregiè, quisquis ſub Principe credit
Servitium; nunquam libertas gratior extat
Quàm ſub Rege pio.

Add. Senec. de Benefic. *lib. 2. c. 20.* Locus ex Cicerone oppoſitus commodè, vel de jure in res competente, cum Joh. à Sande *de probib.*

rer.

rer. Alien. in proœm. subaudiri, vel ad Statum Reip. qualis tunc obtinuit, restringi potest.

XXIV. Quæ in quarta dubitandi ratione propositâ fuére, non plus fundamenti, quàm priora habent. Novimus equidem, quàm solicitè & ad superstitionem usque multi terminos Dominii & Imperii rimati fuerint, & sæpiùs ex confictis subtilitatibus promiscuam earundem usurpationem in iis, quæ summæ potestati civili competunt, accusaverint. Integra hanc in rem extat Dissertatio Wilhelmi Lyseri pro Imperio, Frider. Hornio, pro Dominio Eminente juxta disciplinam Grotii *lib. 1. c. 1. §. 6.* pugnanti, opposita. Sed inutilem ejusmodi tricis insumi laborem, nec tàm res, quàm nomina impugnari, ostendit Bœcler. *in Diss. de Domin. Emin. Comment. Grotian. inserta pag. 134. & seqq.* Pufendorf. *d. J. N. & G. lib. 8. c. 5. §. 7.* Non magis proficiunt, qui Subditos Imperii Civilis omni commercio exemtos esse arbitrantur, ex hâc ipsâ ratione, quod sic termini Imperii & Dominii non satis separentur. Sive enim Imperii latitudinem ad facultatem usque alienandi subditos porrigi dicas, sive hanc ex Dominio Summæ potestati circa personas civium suorum competente, (quod civile vocat Grotius *lib. 1. cap. 3. §. 8.*) derives, hactenus perinde est, dummodo constet, Imperio Civili tantùm Juris quandoque accedere, unde commercium aliquod circa subditos intelligi possit. Et quamvis effectus exinde resultans tàm latè haud pateat, ut Civium conditio mero arbitrio Imperantium sit constituta, hique pro lubitu de illis statuere queant, propter rationem, quam assignat Pufendorf. *lib. 7. cap. 6. §. 16.* hoc ipsum tamen essentiam Dominii non ingreditur. Conf. Struv. *ad π. Exerc. 11. th. 55.* Quod si enim à denegatâ in totum facultate alienandi ad Dominii negationem non valet Conseq. per *t. t. Inst. quib. alien. lic. vel non.* quantò minus eò licebit inferre à restrictâ in tantum alienatione, & ubi arbitrium de re suâ statuendi certis limitibus saltem circumscribitur; Cœterùm quod Lyserus jactat, neminem unquam Dominium in Personas Imperanti tribuere ausum fuisse, non omne fundamentum Commercii, quod circa Subditos exercetur, prosternit. Neque enim necesse est, ut Dominium in ipsam substantiam & corpora Subditorum, (prout id nobis circa quaslibet alias res inanimatas & creaturas irrationales competit,) præsupponamus; cùm quid alicujus dici possit, non modò secundùm substantiam seu corpus ipsum, sed

 & se-

& secundùm alias atque alias rationes, quibus de re disponimus, & quarum intuitu hæc ita ad nos pertinere dicitur, ut eodem modo non pertineat ad alium. Ex quo & est, quòd alia censeatur esse proprietas ipsius corporis, alia Juris in corpore. Priori respectu subditi Imperii Civilis in proprietate Imperantium esse negantur, non verò posteriori. Hæc enim Juris proprietas, si quidem Jus aptum est, ut in patrimonio sit, & in bonis computetur, quale Imperium, seu Jus regendi Subditos, præprimis consuetudine & moribus nostris, censeri, nemo, opinamur, negaverit. vid. Pufend. *lib. 7. c. 6. §. 16.* Paurmeist. *d. Jurisd. lib. 1. c. 22.* Exc. Dn. D. Fromm. *de Condom. Territ. cap. 4. th. 12.* non minus ac corporis proprietas ad Dominium proficit, docente Strauch. *de Imp. Mar. c. 2. th. 1.* Allata insuper ex Hottomanno & Barthol. de las Casas non benè cohærent; Nec illi terminos Imperii Civilis explicant, sed confundunt. Non ideò vulgariter & impropriè subditi in ditione & potestate Imperantium existere dicuntur, quòd hæc phrasis non æquè omnibus in universum, qui Imperio subsunt, applicari possit, (diversas enim & varias esse Subditorum conditiones, quis ignorat?) sufficit in quibusdam Imperiis Jus regendi ita plenè haberi, ut id in patrimonio Imperantis, subditique ejus Commercio quodammodo subesse intelligantur. Simplex nexus fidelitatis & clientelæ, latitudinem Imperii in personas adeò non exhaurit, ut ne quidem subditum simpliciter talem constituat. Nec est, quòd quis vocem potestatis tanquam nimis laxam accuset, & ex eâ subjectionem herilem arguat. Quàm latè enim significatio ejus pateat, indigitat JCtus in *l. 215. ff. d. V. S.* add. Ascan. Clementin. *d. Patr. Potest. c. 1. n. 1. & seqq.* Minus accuratè quoque loquuntur, qui Jura Imperantium circa Subditos, Jurisdictione, protectione & Administratione terminari putant; Aut enim impropriè & plusquàm vulgari notione vocabulum Jurisdictionis accipiunt pro omni potestate regendæ Reipubl. cum Grot. *lib. 1. c. 3. §. 1.* Stephan. *de Jurisd. lib. 1. c. 1. n. 12.* aut in sensu suo genuino & nativo capiunt Jurisdictionem pro facultate judicandi; Hoc modo Majestatem in nudum Magistratum transformant; Conf. Horn. *de Dom. Emin. c. 4. num. 2.* Illo ampliorem quidem facultatem Majestati tribuunt, sed eo non omnem, quæ Imperio Civili extrinsecus accedere potest, comprehendunt. Quòd porrò communes illas loquendi formulas, quibus Imperantes subditos suos, Imperium suum

esse

esse dicunt, attinet, cautè, uti nec ipsi diffitemur, illæ adhibendæ sunt. Vulgò quidem quilibet Imperans de Subdito suo dicit: hic meus est, & non alterius, tametsi Jus regendi ita plenè non habeat, ut id in alterum transferre queat; Et quoad hunc hæc phrasis valdè impropriè usurpatur, nec eâ amplius quid significatur, quàm huic & non alteri competere Jus hunc hominem regendi. Conf. *l. 51. §. 1. ff. de her. instit.* Wurmser. *lib. 1. obs. tit. 50. obs. 12.* Gail. *p. 1. Cons. 22. n. 4.* At verò longè alio sensu & meliori Jure Subditos suos dicit, qui Jus regendi plenè & patrimonialiter sibi acquisivit; quamquam & hæc proprietas multum adhuc distet ab illâ, quâ quis rem quamcunque aliam suam esse dicit: nam proprietas, quæ rei inhæret, regulariter involvit Jus istâ re utendi abutendique, eamque consumendi ex proprio commodo aut lubitu; sic ut qualitercunque quis eandem tractaverit, injuriæ reus non fiat, sed ad excusationem sufficiat dixisse, quod ejus sit; quæ omnia circa subditos secus sese habent, utpote circa quos Jus alienandi non in infinitum, veluti in bruto aut re inanimatâ, adversus quam nulla aut longè impar nobis est obligatio, exerceri potest, sed ad conditionem humanam & Imperii Civilis (de quo hic nobis sermo) attemperari debet. Dn. Pufendorf. *lib. 6. c. 3. §. 7.* Illud denique vanum est, quod de las Casas & alii ex LL. Romanis de Tutore ad summam potestatem inferunt, eoque Imperium in tam vilem comparationem detrudunt, ut id cum Jure privatis circa res alienas competente exæquare non erubescant. Ad resolutionem quartæ & quintæ Rat. sufficere possunt, quæ post Grot. *l. 1. c. §. 8.* habet Conring. *de finibus Imp. Germ. c. 19. n. 2.* add. Ziegl. *de Jure Majest. lib. 1. c. 1. §. 33. & seqq.*

XXV. Remotis iis, quæ decisionem quæstionis præliminaris, an & quatenus Commercium Imperantibus circa subditos competere possit, dubiam reddere videbantur, ordo tractationis exigit, ut jam illud ex suis causis eruamus, ipsumque fontem scrutemur, ex quo ejusmodi facultas in summam potestatem devolvitur. Quo verò rectâ viâ incedamus, ante omnia removendæ erunt non satis tutæ, quæ incautos hic fallere possent, investigandi rationes. Et I. quidem cavendum sedulò ab illorum doctrinâ, qui vim Imperii in infinitum extollentes id agunt, ut Summæ potestati non tantùm dominium in bona, sed & in corpora subditorum tribuant, subditos indistinctè servorum conditioni adscribant, non attendentes, quâ intentione, quo con-

consilio, quibus pactis animum ad Civitates appulerint. Quod si ex his quæras, unde sit, quod Regna & Imperia alienabilia sint, subditi alterius ditioni subjici possint? partem potentialem Summi Imperii hanc facultatem, & cum Jure summi Imperantis connexam esse, animosè respondebunt. Sed hi novi Juris Regii Doctores quid non audent? Si Jus Regni solâ Regis libidine continetur, si una ubique & ead. mensura Juris & Imp. est Regum voluntas, quæ erit posthac differentia Regni absoluti & limitati? quibus quæso terminis distabit Regnum à Dominatione? Non minus contra principia Civilis doctrinæ impingunt, qui Imperium Summum & inalienabile sibi opponunt, quàm qui Summum & limitatum sibi contradistinguunt. Et quemadmodum is, qui Imperium ad certum agendi modum restrictum tenet, summum propterea habere non desinit, eò quòd hoc etiam cum limitatâ potestate consistat: Ita quoque summitati nil detrahitur, tametsi Jus alienandi penes Imperantem non resideat. Conf. Grot. *Lib. 1. c. 3. §. 11. & 16.* Horn. *de Civit. lib. 2. c. 10. n. 7.* Ziegler. *de Jur. Majest. lib. 1. c. 1. th. 14.* Pufend. *lib. 7. c. 6. §. 10. & 13.* & *Elem. Jurisp. Univ. Lib. 1. def. 5. §. 3.* Huber. *de Jur. Civit. lib. 1. cap. 16. pos. 22. & seqq.* Imò ne ejus quidem, quod absolutum vulgò appellant, idioma & necessarium attributum esse, ut alienari possit, exemplo comprobat Huber. *de Jur. Civ. L. 1. c. 16. pos. 18.* cui add. Forstner. *ad L. 4. Annal. Tac. p. m. 344.* Secundò à genuinâ & verâ Commercii circa Subditos investigandi ratione semotam volumus opinionem illorum, qui facultatem alienandi subditos ex modò deferendi Imperium, Electione vel Successione, repetunt. Ut plurimum quidem liberior & laxior facultas concomitatur Regimen illorum, quibus Jus Regni per successionem acquisitum est; Verùm hic titulus, uti formam Imperii non assignat Grot. *lib. 1. c. 3. n. 10.* Ziegl. *de Jur. Majest. lib. 1. c. 1. th. 13.* ita nec in se spectatus Jus alienandi confert, aut tollit. Quid si enim summo arbitrio Populi constitutus sit ordo succedendi? de quo vid. post Grot. *lib. 2. c. 7. §. 14.* Pufend. *Lib. 7. cap. 7. §. 11. & 12.* Multò minus Electioni quà tali tantùm tribui potest, per trad. Bœcl. *ad Gr. lib. 1. c. 3. §. 11. p. 239. & c. 4. pag. 285.* Non enim in dubio præsumendum esse, eam fuisse populi voluntatem, ut alienatio Imperanti permitteretur, in subsequentibus, juxta hypothesin Grotianam, latius exponemus. Interim vix capimus, quod pro fixâ doctrinâ non

nemo

nemo venditat; *Electitii Regni administrationi potestatem alienandi Territoria ad Regnum spectantia cohaerere, in Tract. ad Jus publ. S. Rom. Imp. Q. 26. p. 123.* Neque etiam III. satis distinctè circa hoc argumentum procedunt, qui jus alienandi subditos in universum ex Dominio Eminente deducunt. Habet illud suum in Rep. ordinem, & in personas quoque ad Commercium usque porrigitur, vid. Rachel. *Inst. Jurispr. lib. 2. Tit. 5. aphor. 5.* universam tamen, quae circa subditos competere potest, alienandi facultatem haud comprehendit. Quemadmodum enim res, quae jure Dominii Eminentis alienari possunt, propterea patrimoniales & in heredes transitoriae non efficiuntur, observ. B. Lauterb. in dem Rechtl. Bedencken in Sachen Waldeck contra Ost-Friesl. *n. 10.* Ita econtra illae, quae jure patrimonii alienabiles sunt, non ita restrictè habentur, quin etiam extra casus, qui exercitio Dominii Eminentis regulariter locum faciunt, alienari queant.

XXVI. Unde ergò vel tandem erit facultas haec, in quam inquirere statuimus? Grotii vestigiis *lib. 1. c. 3. §. 11. & seqq.* insistentes, ex modo habendi Imperium, seu illâ affectione, quâ Imperium in patrimonio & proprietate esse dicitur, eandem repetendam esse censemus. Consent. Pufend. *Lib. 7. c. 6. §. 14.* ibi: *Denique & hoc summo Imperio, quod penes Monarchas potissimùm haeret, accidit, ut modus id habendi sit vel plenus, vel magis aut minus deminutus. Quidam enim Reges dicuntur Regnum habere in patrimonio; alii utiliter tantùm & Jure quasi usufructuario idem possidere dicuntur.* Et praeprimis *§. 16. in f.* ubi ita: *Effectus autem ex isthoc modo Imperium habendi resultans in eo potissimum cernitur, quòd ibi non solum conditio civium arbitrio Regum sit constituta, sed & quòd Jus suum in tale Regnum Rex pro lubitu in quemcunque possit transcribere, adeoque & modum succedendi pro suo arbitrio constituere.* Add. Ziegl. *de Jur. Majest. Lib. 1. c. 4. §. 26.* Hennig. *ad Grot. lib. 2. 6. §. 3.* ibi: *Hic modus habendi est unica & certissima regula metiendi Jus superioris circa actum alienationis.* Boecler. *ad Grot. l. 1. c. 3. §. 11.* Bach. *ad Tr. V. 1. D. 2. th. 3. lit. f.*

XXVII. Quò verò planius de hoc plenè Imperium habendi modo appareat, simulque dubiis quorundam, qui in universum Regna patrimonialia oppugnare conantur, (quos inter Hottom. *Quaest. Illustr. 1.* Brutus *Vind. Contr. Tyrann. Q. 3. p. 185. & p. 205.*) obviam eamus, operae pretium erit, illos ipsos modos, quibus tanta facultas Imperantibus acquiritur, inspicere. Imperium communiter acquiri di-

E citur

dicitur modo vel Originario, vel Derivativo; Illo Imperanti primùm constituitur; Hoc jam constitutum & acquisitum ab uno in alterum transfertur. v. Grot. *lib. 2. c. 5. & 6.* Misso hoc, de Originario potissimum, mediante quo Jus alienandi Subditos Imperanti primùm acquiritur, inspiciendum erit. Non autem de eo planè constat: Quòd enim Imperium Occupatione acquiri quidam perhibent, non accipiendum eo sensu, quo res domino carentes per solam apprehensionem proprietati & dominio occupantis cedunt. Etenim occupari dicuntur res nullius §. *12. Inst. de Rer. Divis.* quales in genere occupationis appellantur, quæ liberæ sunt ab omni proprietate vel aliquo competente Jure. At verò, cùm homo non sit è numero rerum, quæ nullius sunt; qui enim non est alterius, suus est, juxta illud Xenophontis: *Nihil ita nostrum est, sicut nos nostrummet ipsorum.* add. Grot. *l. 1. c. 3. §. 8.* & naturaliter Jus habeat in se, i. e. ad libertatem suam conservandam, in propatulo est, hominem tertii occupationi non patere, nec Imperium in personas sui naturâ inter occupabilia hoc sensu computari posse. v. Grot. *Lib. 2. c. 9. §. 9.* ibi: *Si quis sine omni herede obeat, servos ipsius liberos, & populos subjectos sui juris evasuros.* Add. Bœcler. *ad Grot. l. 1. c. 4. p. 287.* Atque ex hac, quam modò ostendimus, rerum & personarum disparitate, jam porrò consequitur, actum occupationis Imperii non iisdem requisitis, quibus aliarum rerum apprehensio nititur, absolvi. Ad dominium rerum acquirendum nullo peculiari titulo opus est, sed illas solâ voluntatis nostræ cum corpore conjunctione acquirimus, quia in istiusmodi rebus nullum existit Jus, quo minus quilibet homo easdem sibi vindicare queat. Ast hoc solo acquirentis actu Imperium, quatenus illud notat potestatem in personam, non absolvitur; Cùm enim homo homini naturaliter æqualis, adeoque alterius Imperio non obnoxius censeatur, per superius exposita, ad acquirendam facultatem in personas & legitimum in homines constituendum Imperium, sola vis & apprehensio sine alio accedente titulo, haud sufficere videtur. Dices: Imperia in homines, imò populi, & urbes regionesve derelinqui possunt. v. Grot. *lib. 2. c. 4. §. 5. & c. 9. §. 1.* Conring. *de finib. Imp. Germ. c. 19. n. 5.* Ramspeck. *de Magn. Imper. Membr. 2. §. 18.* Auth. Diss. *de Domin. Emin. in Imp. Germ. cap. 1. §. 18.* quæ autem derelinquuntur, in nullius patrimonio esse, & primo occupanti patere videntur, §. *12. & 16. J. de Rer. divis.* R. Non hic idem derelictionis Imperii, & aliarum rerum, est effectus. Hoc quidem operatur tacitus

tus per derelictionem declaratus consensus, ut occupans Imperium derelictum acquirat Jus, quod valeat adversus ipsum derelinquentem, qui sese omni suo in Imperium competente jure exuisse videtur; Sed ut occupans acquirat jus valiturum etiam adversus ipsum populum, id tacitus derelinquentis consensus præstare nequit, nisi vel causa invasionis ex alio capite probetur, aut consensus pactumque populi expressum vel tacitum insuper accedat.

XXVIII. Hisce præmissis, Imperium Patrimoniale Imperanti originariè acquiri arbitramur vel, I. per voluntariam subjectionem; quando populus, qui antea sui juris erat, se uni cuipiam ita addicit, ut regendi sui Jus in eum planè transcribat, nullâ ejus parte retentâ. Grot. *lib. 1. c. 3. §. 8.* quam ipsam translationem potestatis suæ in alium perfectam subjectionem appellat Idem *Lib. 2. c. 5. §. 31.* Ex quâ illi, in cujus ditionem populus transit, Dominium Civile, seu Jus regendi non aliunde pendens acquiritur. Idem *d. c. 3. §. 8.* Cùm enim & privatis tantùm Natura indulserit, ut alterius potestati & dominio sese mancipare queant, (quanquam enim homini dederit libertatem, atque ad hoc naturaliter is ferri dicatur, ut nemini subjectus esse, ut omnia suo agere arbitrio, ut proprio commodo in omnibus velificari velit; Libertatem tamen ejusque usuram non ita eidem concessit, ut auferri nequeat; v. supra th. 4.) quidni & populo, hactenus libero, tantùm de suâ in se potestate decerpere, & in alterum transferre licebit? facit *l. 22. C. de agric. & cens. L. fin. C. de Transact.* add. Pufend. *Elem. Jurispr. Univ. Lib. 2. obs. 5. §. 23. p. 511. in med.* Et verò multæ extare possunt causæ, cur populus Jus sese regendi totum à se abdicet, hancque gubernationis formam præ cæteris eligat. Evenit, ut gens quædam molliori Imperio haberi nec possit, nec optet; vid. *Justin. Hist. Lib. 38. c. 2. in fin.* Bonfin. *Rerum Hungar. Dec. 4. L. 9. in fin.* Sæpiùs spe meliorum populi integri in aliorum ditionem spontè concedunt, & quasi in voluntariam sese tradunt servitutem; puta, quòd vel sibi ab hoste defendendis non sufficiant, vel discordiâ civili defatigatis intersit potius parere aliis, postquam non aliud discordantis patriæ remedium superest, quàm ut ab uno regatur, pacisque interest, omne Imperium potestatemve ad unum transferri. *v. l. 2. §. 11. & 18. ff. de O. J.* Est ubi pressi egestate emere quasi spontaneâ servitute sibi coguntur copiam, quâ se sustentent. vid. *Genes. c. 47. vers. 19. & seqq.* Conring. *d. fin. Imp. Germ. c. 19. n. 2.* Exem-

pla hanc in rem luculentissima cumulavit Grotius *d. c. 3. §. 8. & 10.* cui add. Huber. *de Jur. Civit. Lib. 1. c. 31. pos. 37. & 38.* Pufendorf. *Lib. 7. c. 6. §. 5.* Schel. *d. Jur. Imper. pag. 16.* Bensen diss. *de summ. pot. subj. §. 38. & seqq.* quæ omnia convelli necesse est, si existentiam Regnorum patrimonialium iisque adhærentem liberam alienandi facultatem negare velimus.

XXIX. Prædicta procedunt, si de voluntate populi, quòd verè in ditionem, i.e. in patrimonium aut plenam proprietatem, quas formulas promiscuè usurpat Conring. *d. tr. de fin. Imp. Germ. c. 19. n. 2.* transierint, sufficienter constet. Quòd si enim quæstioni voluntatis adhucdum locus sit, nec graves præsumtiones plenam translationem Imperii urgeant, ex simplici transitione in potestatem alterius, regulariter facultas alienandi translata censeri haud debet; Ita Grot. *d. c. 3. §. 13.* ibi: *At in Regnis, quæ populi voluntate delata sunt, concedo, non esse præsumendum, eam fuisse populi voluntatem, ut alienatio Imperij Regi permitteretur.* Consent. Pufendorf. *de J. N. & G. Lib. 7. c. 6. §. 17.* Textor. *Syn. J. Gent. C. 9. n. 26.* Hottom. *Quæst. Illustr. 1. p. 11.* Brunnem. *Cons. 1. n. 70.* post plures à se allegg. Bruckner. *de Doman. Regn. Germ. cap. 9. n. 4.* vid. tamen Ziegler. *ad Grot. lib. 2. cap. 6. §. 3.* Rationes, quæ hic pro minus plenâ translatione Imperii militant, resultant tum ex conditione humanæ naturæ, tùm ex fine societatis civilis. Etenim, si hominem concipiamus tanquam animal libertatis suæ studiosissimum, jactura ejusdem, quam transeundo in societatem civilem patitur, juxta communem Juris regulam restringenda potius quàm extendenda videtur. Et licet fortior ratio, studium nimirum conservandi sui (cui extra statum consociationis civilis ita securè incumbere haud potuit) suaserit, ut Libertati renunciaret, & alieno arbitrio vivere inciperet; hæc tamen renunciatio intra terminos suos coangustanda atque tàm strictè interpretanda est, ut per eandem naturali libertati non plus detractum fuisse censeri debeat, quàm illa ipsa societas, in quam coitum fuit, postulabat, cœtera verò Libertatis jura, quæ cum naturâ istius societatis benè consistere possunt, integra remansisse præsumantur. Conf. Pufend. *Elem. Jurisprud. Univ. p. 93.* fac. *l. 20. l. 120. l. 179. de R. I. l. 38. pr. ff. de re Judic. c. 3. X. de prob.* ubi pro libertate, ceu re admodum favorabili, quoties dubia est interpretatio, semper respondendum esse monemur. Præterea cùm ad Regnum ultrò dandum homines plerumque moveri soleant peculiari aliquâ con-

consideratione, quæ in quibusvis non deprehenditur, & qui ultrò Imperium alicujus subit, huic quidem, sed non ideò cuivis subjici velit, igitur regulariter in Regno simpliciter delato, nullâ de modo habendi expreßâ pactione adjectâ, non tàm Jus aliquod patrimoniale, quàm nuda regendi potestas concessa censeri debet. Huber. *de Jur. Civit. Lib. 1. c. 32. posit. 32.*

XXX. Vel etiam II. Imperium patrimoniale acquiritur per Occupationem Bellicam; quando populus justo bello victus in victoris potestatem & ditionem transit. Cui enim Dominia rerum justo bello acquiruntur, & ipsa humana corpora cedunt, illi & Dominium Civile, seu jus regendi non aliunde pendens plenè acquiri posse, evidenti ratione consequitur. Graswinckel *in Strict. ad Cens. Felden. pag. 87.* Cùm verò acquisitio ex hoc titulo variè fiat, nobis in originem Commercii circa subditos quà liberos homines inquirentibus, ex partitione Grotii, qui Imperium vel merè herile, vel merè Civile, vel mixtum victori acquiri dicit, in alleg. *cap. 8. §. 1.* non nisi Civile, in quo libertatem quidem personalem devictis salvam relinquit victor, saltem tamen Jus regendi pleno & irrevocabili modo sibi suisque vindicat, hîc venire, vel verbo saltem monuisse sufficiat. Conf. Pufendorff. *lib. 7. c. 6. §. 16. Si qui justam contra se bellandi causam præbuerunt, ubi victi sunt, jure belli vitam, aut libertatem personalem, & omnia bona potuerunt amittere. Hisce sanè quæcunque conditio relinquatur, pro beneficio victoris habenda est. Qui licet victis libertatem personalem & dominium privatum relinquat, saltem tamen Imperium in ipsos pleno & irrevocabili modo sibi suisque vindicare intelligitur.* & qui illum sequitur Thomas. *Inst. Jurispr. Div. L. 3. c. 6. §. 137.*

XXXI. Illud hic non incongruè quæritur: An ad acquisitionem Juris hujus patrimonialis, consensus subjugatorum planè nòn requiratur? Ita arbitrantur multi, quos inter Horn. *de Civit. lib. 2. c. 9. n. 2.* Auth. Diss. *de Dom. Em. in Imp. lib. 1. c. 1. n. 10.* Econtrà talem demum occupationem, quæ justam præsupponit invasionis causam, & consensu subjectorum pactoque subsequente firmatur, ad comparandum Imperium proficere, docet Pufend. *lib. 7. c. 7. §. 3.* Nobis hæc lis facilè componi posse videtur, Disting. inter consensum expressum, & præsumtum seu interpretativum. Consensus utique, cùm de constituendo Imperio patrimoniali, quod simul civile audit, quæstio fit, interveniat, necesse est; sed modus eliciendi & declarandi consen-

 sum

sum planè hic diversus est ab illo, quem in voluntariâ & ultroneâ subjectione, (ubi Rex subjectis imputare debet, quòd ejus Imperio subesse velint) supra observavimus. Quamvis enim victores armis pacatos in verba sua plerumque adigant, fidemque & modum parendi ab illis stipulentur, id tamen ut pacto expresso intercedente semper fiat, haud necesse est. Consensu aliquali opus est, ut ex statu belli & violento in pacem belligerantes descendisse intelligi possit; Verùm cùm occupatio bellica præsupponat victorem viribus præpollentem, adeòque mala quævis victo valentem repræsentare, nec ullus, qui sanâ ratione utitur, ubi succumbere se videt, leviori defungi malo non optet, si per illud internecionem effugere detur, non est dubium, quando victor parcit subjectis, armaque & vis præsens utrinque cessant, quin ex re ipsâ consensus eorum ad obsequium satis elucescat, atque de Jure Victoris, etiam citra diserte factam promissionem, satis evidenter appareat. Quod si ergò in protectionem suam suscipiat victor, quibus alias internecio imminebat, nec tamen ulla expreßè de modo habendi Imperium fiat promissio, in dubio pleno & irrevocabili modo id ipsum sibi suisque acquisivisse præsumitur. Pufend. *Lib. 7. c. 6. §. 16.* Textor. *Syn. Jur. Gent. c. 9. n. 26.* Ziegler. *de Jur. Majest. L. 1. cap. 4. §. 26.* D. Thomas. *supra citat. §. 137.* Idem dicendum de illis, qui se sub Clausulâ clementiæ & discretionis (auf Gnad und Ungnad) vel etiam simpliciter in fidem dediderunt, per ea, quæ post Grot. *Lib. 3. c. 20. §. 50.* tradit Dn. Text. *c. 30. n. 8. & seqq. c. 28. n. 19.*

XXXII. An capto Rege, qui Regnum in patrimonio habet, ipsum Imperium patrimoniale victori acquisitũ videatur? anceps est quæstio. Jura quoque & res incorporales Jure belli acquiri posse, mediante personâ, cujus fuerunt, scribit Grot. *lib. 3. c. 7. §. 4.* & notissimi juris habetur, quòd is, qui est dominus personarum, & rerum & juris omnis, quod personis competit, dominus esse censeatur; Idem *lib. 3. cap. 8. §. 4.* unde Scipio Major apud *Liv. lib. 30. Syphax populi Romani auspiciis victus captusque est, itaq; ipse, conjux, & Regnum, ager, oppida &c. præda populi Romani est.* Verùm ex hisce ad acquisitionem Regni patrimonialis nil validè infertur; Jura incorporalia personis inhærentia non unius ejusdemq; generis sunt, adeoque de illorum acquisitione distinctè pronunciandum cum Pufend. *lib. 8. c. 6. §. 22.* Quæ enim personæ in aliam personam competunt, non statim acquisita intelliguntur, utut persona, cui ista competebant, in hostium manus pervenerit. Quod igitur dicitur, dominum perso-

personarum dominum quoque esse rerum & juris omnis, quod personis competit, verum est de iis, quæ ad sui acquisitionem præter apprehensionem capientis nil amplius requirunt, non verò applicari commodè potest ad casum, quo Rex solus captus est, integro adhucdum manente Regno: Et si vel maximè concedamus, Regem captum amittere Regnum, exinde tamen nondum consequitur, illud protinus ad capientem cum persona capti transire. Subscribunt huic sententiæ post Pufend. *l. cit.* Dn. Textor. *Syn. J. Gent. c. 20. num. 17.* Hennig. *ad l. 3. c. 20. §. 3.* add. Ziegl. *ad l. 3. c. 9. §. 6.* Hodiè cùm Rex captus notoriè in servitutem capientis non transeat, durante captivitate seu custodiâ, exercitium potius quàm ipsum Jus imperandi amisisse censetur. Fac. *l. 13. §. 2. ff. de A. v. A. P.*

XXXIII. Hisce jam expositis modis Imperium plenè in Imperantem translatum, inque ejus patrimonium & proprietatem transire dicitur. Ex quo pleno habendi modo Commercium nostrum, quatenus in subditos porrigitur, arcessendum esse, supr. th. 26. ostendimus ex Grot. *lib. 1. c. 3. §. 11. & 12. sicut enim res aliæ, ita & Imperia alienari possunt ab eo, cujus in dominio verè sunt*, docet idem *l. 3. c. 6. §. 3.* add. Huber. *de Jur. Civit. L. 1. c. 6. pos. 34. & seqq.* Boecler. *ad Grot. lib. 2. c. 6. §. 3. p. 208.* Ziegler. *de Jur. Majest. L. 1. c. 4. n. 26.* In hoc quippe summa dominii vis posita censetur, ut dominus rem vel sibi retinere, vel ad alium transferre possit. *L. 21. C. Mand. pr. & §. 1. Inst. quib. alien. lic.* Reuter. *de Alienat. p. 1. c. 5. Sect. 1. n. 2.* Atque hunc effectum liberæ dispositionis circa res dominii & proprietatis Jure nobis quæsitas, non civilibus demum institutis accepto ferendum, sed & dominio, quatenus id ad merum Jus naturæ expenditur, inesse, iterum docemur à Grot. *d. c. 6. §. 1.* Neque, ut Imperia pleno Jure quæsita exinde eximamus, quicquam causæ subesse videtur. Utut enim statu Reip. nondum formato, naturæ indifferens sit, an Regna liberâ infinitâque potestate, vel limitatâ restrictâque constituantur; quod si tamen certa Reip. forma & modus habendi Imperium in subditos semel constitutus sit, quid eidem conveniens sit ac consequens, natura sæpè ostendit, non ubique præcipiendo, sed interdum non repugnando; ubi igitur placuerit, ut Imperans Imperium plenum habeat & plenè, rectè dixerimus, naturam & rationem non impedire, quominus illud liceat alienare, adeoque, seclusis omnibus LL. moribusque, an per-

dominio alicujus est, quomodo ergò in alium transferri poterit res, quæ Dominii capax non est. *l. 182. de R. I.* ℣. Si naturam dominii ex LL. Romanis repetamus, forsan dicendum, res incorporales, in quarum classem Imperium communiter referunt, ad ejusdem strictè & propriè sic dicti objectum non pertinere, propter *l. 4. pr. ff. comm. divid. §. 1. l. d. Act. l. 23. pr. l. 56 ff. de R. V.* post Cujac. Hahn. Struv. Vinn. Feltmann. Rebhan. Exc. Dn. D. Frommann. *Disp. de Domin. Acquis. th. 6. 11. & 14.* quanquam & pro contrariâ sententiâ argumenta haud contemnenda colleg. Strauch. *Disp. Justin. 6. th. 9. & de Imper. Mar. c. 2. th. 1.* It. *in Diss. ad Reg. Jur. 6. th. 3. & 4.* Dn. Schilter. *ad π. Ex. 44. §. 15.* At exinde Feldeni afferto nulla sufficiens ad evertendam thesin nostram accedit ratio. Etenim Jus, quod Civitati in universam Regionem, in cives & subditos tribuitur, & aliàs generali voce Imperii continetur, absque omni dubio genus aliquod diversum est à dominio rerum privatarum, adeoque Jure privato non regitur. Et quamvis eidem jura privata quandoque applicentur, id tamen non nisi per analogiam & comparationis ergò fieri, post Bœcl. ostendit Lud. Hugo *de Stat. Reg. Germ. c. 6. th. 3. Lit. D.* Præterea Imperium, præprimis hodie, considerari potest dupliciter, vel formaliter pro separato Jure citra respectum ad Territorium, prout in personas subjectas competit; vel conjunctim & materialiter, prout prædicatur de integro Territorio & provinciâ Jurisdictione & Imperio munitâ. Illo sensu rebus Incorporalibus rectè annumeratur, hoc vero non item. Non plus momenti habent, quæ ab aliis, Athusio præprimis ejusque asseclis, in contrarium moventur: *Majestatem & summum Imperium extra omne humanum commercium positum esse, & consequenter contractibus aliisque dominii acquirendi modis non subjacere, de persona in personam, prout aliæ res, quæ in patrimonio sunt, non transmitti, sed à Deo immediatè Imperantibus conferri, qui sibi soli, Regna de gente in gentem transferre reservaverit.* Conf. Auth. *Consider. Imp. absol. & relat.* Falsissimum est, quod obtruditur, Imperium ex eorum numero esse, quæ ab uno in aliud subjectum transire & proinde alienari nequeant; Qui distinctam ejus à reliquis in commercio existentibus Juribus naturam tueri volunt, onus probandi in se ipsos devolvunt; Nec hoc ipso, quod Imperantibus potestas à Deo conferri dicitur, Imperium inalienabile efficitur; quod si enim hæc illatio subsisteret, Imperantes Imperium ne quidem cum consensu populi in alium transferre poterunt, quod tamen ipsi

ipſi Diſſent. vix admittent. Rationes aliorum hic diſſentientium, præprimis B. de las Caſas in *d. tract.* è Jure Romano, quod Commercia privatorum regit, deprom̃ptæ, noſtram θέσιν non attingunt; & quæ præterea illo Jure de perſonali Jurisdictione conſtituta ſunt, hodiè ad patrimonialem & propriam, quæ in commercio eſt, & æſtimationem recipit, v. Paurmeiſt. *de Jurisd. Imp. Rom. l. 1. c. 2. & 23.* Brunnem. *ad Weſemb de Jurisd. quæſt. 19.* & noviſſimè B. Lauterbach. in Colleg. *ad π. tit. de Jurisd. §. 43.* malè extenduntur.

XXXIV. Quod verò antea dictum, facultatem alienandi ſubditos ex modo habendi Imperium repetendam eſſe, ita ut ſi in patrimonio ſit, alienabile reputetur, & cum illo ipſi quoque ſubditi in alterum transferri queant, declaratione quadam opus habet, nec eò interpretandum, ac ſi propterea ſubditi ſub patrimoniali Imperio viventes conditione & ſtatu liberorum hominum exuerentur, atque meræ libidini Imperantium, inſtar rerum quarumvis promercalium, manciparentur. Sunt equidem, qui exemptionem liberorum hominum è Commercio LL. Romanis ſolùm accepto ferentes, eousque progrediuntur, ut, his ſepoſitis, alienationem eorundem nil quicquam abſurditatis continere ſtatuant. vid. Auth. *Diſſ. de Domin. Emin. in Imp. c. 1. §. 14.* Hennig. *ad Grot. l. 1. c. 3. §. 12.* Verùm nobis in caſu ſuppoſito magis arridet explicatio Grotii exiſtimantis, Jus alienandi hîc non porrigi in ſubditos quà homines, ſed quatenus Jus regendi patrimonialiter Imperanti circa illos quæſitum eſt, adeoque propriè loquendo non ipſos ſubditos quoad corpora & ſubſtantiam, ſed potius Jus regendi perpetuum in acquirentem transferri. Quæ ipſa diſtinctio in tantùm eruditis probatur, ut non levem hac in parte inter Dominium rei familiaris & publicum agnoſcant differentiam, quam præ aliis notanter expreſſit accuratiſſimus Strauch. *Diſſ. Jur. Publ. Exoter. 4. n. 18. Multum intereſt hac parte inter dominium rei familiaris & Imperium. Illud enim jus in re & rei affectio eſt, hoc res ipſa incorporalis eſt. Illud non eſt in commercio: Sed ſubjectum ejus. Ideoq; quomodo rectè dicitur, Jus imperandi alienari, non ſubditos, eodem per-*

tantùm ejus venditio, donatio *l. 6. pr. l. 22. l. 62. §. 1.* ibi: *licet emptio non teneat. ff. l. 2. l. 9. C. de contrah. empt.* & usucapio. *§. 1. I. de usuc.* interdicta, sed nec ejus nomine quis locupletior fieri intelligatur, *l. 5. §. 8. ff. de don. int. vir. & ux.* Et tamen alibi inter res promercales refertur, dominio jurive nostro subesse existimatur. Quorsum enim aliàs referemus, quæ de ejusmodi locorum dominis, proprietariis, communione, translatione in alium &c. tradunt JCti *in l. 41. l. 43. ff. de Rel. & sumpt. fun. l. 6. ff. de sepulchr. viol.* & in specie, quòd Testator de iis disponere, *l. 5. §. 3. ff. de sepul. viol.* quòd locus religiosus majoris partis emptioni accedens, vendi etiam possit; *l. 24. ff. de Contr. E. V. l. 53. §. 1. de Act. E. V.* quòd sepulchra ad heredes, sive ex testamento, sive ab intestato, & cæteros qualescunque successores transeant, *l. 5. l. 6. ff. de Relig. l. 42. §. 1. ad SC. Trebell. l. 4. §. 21. ff. de fideic. libert.* quòd dominus loco religioso adempto violatove pauperior redditus censeatur, eaque ratione in sepulchri violati judicio reliquis præferatur. *l. 3. de sep. viol.* quòd denique, cùm rem religiosam quasi nostram vindicare non liceat, actionem tamen eo nomine in factum habeamus. *l. 43. ff. de R. V.* Diversum hunc, loca religiosa in & extra Commercium patrimoniumve computandi modum, per distinctionem, inter Jus inferendi mortuum, & rem ipsam sive locum, in quem mortuus infertur, qui nullius in bonis & religioni sacratus censetur, explicant Impp. in notab. textu *L. 14. C. de Legat. Monumenta quidem legari non posse, manifestissimum est; Jus verò mortuum inferendi legare nemo prohibetur.* add. *l. 2. §. 2. l. 8. §. fin. l. 11. ff. l. 4. l. 8. l. 13. C. eod. l. 53. §. 1. ff de A. E. V.* Gœdd. *ad l. 5. de V. S. n. 14.* Carpz. *I. Conf. L. 2. def. 391. n. 12.* Ziegl. *ad Inst. Jur. Can. Lancellot. L. 2. c. 24. p. 586.* Aliud exemplum ad illustrationem prædictæ Distinctionis conducens, occurrit in *tit. Inst. & ff. de Assign. Libert.* Libertos Jure Romano appellatione liberorum hominum venisse, omni caret dubio, post §. 3. *I. de Libert.* disponere ergò de illis tanquam de re commercio hominum exemptâ hoc Jure vetitum erat *arg. l. 1. §. 9. de O. & A. l. 103. de V. O.* eò quod in bonis & familiâ ercifcundâ esse desierint. Dn. Schilter. *ad π. Exerc. 41. §. 51.* Hinc nec dividi illos potuisse, docemur ex *l. 41. ff. fam. ercisc. l. f. ff. de Jur. patron.* Interim tamen SCtō Rufino concessum fuit, ut patronus inter plures liberos in potestate suâ existentes possit libertos quasi dividere, & uni liberorum plures vel omnes, vel pauciores cæteris assignare. *pr. I. de assign. libert. l. 1. pr. ff. eod.* per quam assignationem libertus quidem patrimonio heredis, instar alius rei promercalis, puta quoad corpus & substantiam

suam

ſuam non ceſſit, attamen jura patronatus circa perſonam & bona ejus hæres ſibi ita acquiſivit, ut reliqui nil Juris ſibi circa eundem vindicare potuerint. *d. pr. de Aſſign. lib. l. 10 §. 1. eod.* junct. *l. 107. ff. de V. S.* Wæchtler. *in Lect. Grotian. ad d. c. 3. § 12.* Alia complura ad hanc diſtinctionem pertinentia, peti poſſunt ex Vult. *Diſcept. Schol. c. 19.* quibus omninò add. quæ de Alienatione rerum incorporalium, & Jurium (quæ juxta veriorem ſententiam Jure quoque Romano in patrimonio computantur, & conſequenter in commercium, etiam ſeparatim & ſine re, cui inhærent, veniunt. v. *l. 12. §. 2. ff. de uſufr. l. 8. §. f. de per. & comm. rei vend. l. 52. de A. R. D. l. 49. l. 143. de V. S. l. fin. C. quæ res pign. obl. l. 46. ff. de pact. l. 1. C. eod. l. 11. C. de Transact.*) latè tradunt Gœdd. *ad d. l. 49. de V. S n. 15.* Bach. *de pignor. L. 2. c. 6 n. 2.* Wiſſemb. *ad Inſt. Diſp. 9. th. 2.* Schifordeg. *ad Fabr. Lib. 1. Tr. 12. Quæſt. 2. & ſeqq.*

XXXVI. Ex hucusque expoſitis ſatis, uti opinamur, apparet, unde cœperit Imperiorum proprietas, & quæ exinde fluit, facultas alienandi Subditos; Cùm verò vocabula Alienationis & Commercii latè pateant, v. *l. 1. C. de fund. dot. l. fin. C. de reb. alien. non alien.* latè Gœdd. *ad l. 25. ff. de V. S. n. 4. & ſeqq* & *ſupra th. 1.* & conceſſâ alienatione regulariter quælibet ejus ſpecies conceſſa intelligatur, dubium non eſt, quin is, qui Imperium in patrimonio habet, & plenâ alienandi poteſtate præditus eſt, cum Territorio ſubditos (eo quo modò diximus ſenſu) in alium transferre poſſit, non ſolùm ex titulo E. venditionis, Conring. *de finib. J. Germ. c. 19. num. 2.* Permutationis, Donationis, Diviſionis (niſi ſub onere non dividendi Regnum in proprietatem acceperit Imperans; de quo vid. Grot. *lib. 3. c. 20. §. 5.*) Dotis, arg. trad. à Grot. *l. 2. c. 6. §. 3.* & *l. 1. c. 3. §. 12.* add. Dn. Stryck. *d. Succ. ab inteſt. Diſſ. 8. c. 5. num. 17.* ſed & per Teſtamentum; Grot. *l. 2. c. 6. §. 14.* Huber. *de Jur. Civ. L. 1. c. 32. poſ. 35.* Knichen. *Oper. Polit. lib. 2. part. 1. c. 4. th. 7.* fac. arg. *l. 16. ff. de Teſt. Mil. l. 1. §. 1. ff. ſi quid in fraud. Patron.* deſignando Succeſſorem aut ex liberis unum, citra ætatis, aut è cognatis, ſine propinquitatis privilegio, vel extraneum etiam & amicum, quemadmodum Teſtator ſibi populove ex-

ad hunc loc. Cruſ. *de Superem. Dom. c. 10. n. 9.* & pacta Confraternitatis. Dn. Stryck *.d. Diſſ.8.c.7.th.26.* Imò & oppignorari poſſe, quos in totum alienare licet, tr. Grot. *lib.2. c. 6. §. 13.*

XXXVII. Anne verò liberrima planè & illimitata ſit hæc facultas, mero Jure Naturæ inſpecto, nec tacitam ex naturâ ipſius Imperii Civilis recipiat reſtrictionem? quæſtio eſt difficilis enodationis; quam intricatiorem adhuc reddunt variæ variorum cautelæ, tum circa perſonas, in quarum ditionem & poteſtatem ſubditi transferendi v. g. quòd non æquè potentis ditioni ſubjici nequeant; Hinc inter omnia gravamina, quæ populis Reges inferre poſſunt, illud graviſſimum reputat de las Caſas, quòd Cives ſeu oppidanos à Regiâ Coronâ alienent, & alterius particularis ditioni ſubjiciant *in ſæp. all. tr. in pr.* tùm circa cauſam alienationis; v. g. quòd alienatio ſubditis nociva non ſubſiſtat, prout putat Vaſq. *Ill. Contr. c.4. n.3.* tum & circa modum alienandi, v. c. quod ſeparatim alienari nequeant ſubditi absque territorio, adhibitæ. Sed de his omnibus in *ſtea* jam prolixus agere animus non eſt. Quid in Hypotheſi de ejusmodi cautelis & limitationibus habendum ſit, ex LL. aut moribus populorum, quibus alias hæc materia tota fere regitur, petendum, qui & nobis ſuo loco, præprimis ubi de alienatione ſubditorum Imperii Germ. dicendi occaſio ſeſe offeret, penitius inſpiciendi erunt. Interim non prætereunda, quæ de reſtrictâ hâc alienandi libertate in Imperiis Civilibus, fundamenti quaſi loco ſubſternit Conring. *d. c. 19. n. 2.*

XXXVIII. Tantùm de facultate alienandi ſubditos inſpecto Jure Naturæ, illis, qui Imperium in patrim. habent, competente. Modò videamus, an & conſenſu Gentium moribusque diverſorum populorum approbata fuerit? Et ſane omni ævo & paſſim terrarum receptum fuiſſe, ut Imperia & populi alienarentur, ſcribit ſæp. laud. Conring. *loc. cit.* cujus aſſerto pondus haud leve addunt tot Illuſtria, quæ Grotius *d. l. 1. c. 3. §. 12.* & maximè in notis *ibid.* hanc in rem congeſſit, exempla. E quibus, ut jam alia à ſummo Viro enumerata taceamus, illud potiſſimum, quod alienationem 20. urbium à Salomone factam continet, diſceptationi eruditorum obnoxium eſt. Inter hos enim nonnulli eorum Hebræorum, qui Regi fas non fuiſſe Regionem Judaicam imminuere tradunt, ſententiam ſecuti, Salomonem non perpetui Juris & proprietatis ac dominii alienandi causâ oppida illa 20. Hiramo Phœnicum Regi tradidiſſe, ſed cum populi conſilio fruenda dediſſe, ut ex eorum vectigalibus & fructibus ſuum Hiramus ſervaret, autumant; Hottom. *Q. Ill. 1.* quem ſequuntur Ziegl. *add §. 12.* Rever. Univ. Cancell. Dn. D. Oſiand. *in Obſ. ibid.* Dn. Struv. *in Diſſ. cui titulus, jus alienandi Illuſtre, th. 7.*

th.7. Alii pro donatione pronuntiant. Conring. *l. c.* Rursus alii permutationem intercessisse, ut Salomon 20. oppida Galileæ Hiramo dederit, Hiramus autem vice versâ ei totidem rependerit, putant; Quicquid verò sit de titulo Alienationis, an Populi consensus in hâc traditione intervenerit, textus sacer non exprimit; quapropter exemplum hoc ad probandam θέσιν Grotii satis congruum judicat Wæchtl. *in lect. Grot. ad d. § 12.* Apud Europæas Gentes Alienationes Principatuum per Donationes, Dotem, Venditionem &c. non incognitas esse, testatur nunquam sine laude cit. Bœcler. *ad Grot. L. 2, c. 6. p. 210.* In Germaniâ quoque notissimâ consuetudine introductum esse inter Nobiles & Status, ut Subditos suos etiam invitos unà cum Territorio distrahant, in aliumq; transferant, refert Besold. *cons. 49. n. 123.* Klock. *Cons. 13. n. 55.* cujus rationem reddit Huber. *de Iur. Civ. Lib. 2. c. 14 pos. 24. Principes, Comites, Dominiq; Immediati, Iurisdictionem Imperiumq; habent in patrimonio non minus quàm ipsa Territoria, cum quibus illa jura per successionem, per venditionem aliosq; contractus transeunt.* add. Hugo *de Stat. Reg. Germ c. 6. § 6. & 8.* Tantùm de Commercio seu facultate alienandi Subditos ex modo Imperium plenè habendi nata, Jure Nat. permissâ, usuque & moribus gentium approbatâ.

XXXIX. Restat, ut videamus, quænam sit alienandi subditos facultas, si Imperium voluntate populi, nec ita plenè delatum sit, ut in patrimonio Imperantis computari possit? Ubi ante omnia distinguendum, an in delatione Imperii Regi vel Principi facta pactiones de alienatione intervenerint, an non. Hoc casu, si simpliciter delatio facta, subdist. an quæratur de alienatione integri populi, an verò tantùm de partis. Illam nunquam in simplici delatione concessam intelligi, suprà probavimus; add. Bœcler. *dict. pag. 210.* Dn. Textor *d. tr. c. 9. n. 20. & 26.* & hactenus pro vero agnoscimus, quod Cujacius *in c. Intellecto X. de Iurejur* scribit: *Et si nullâ speciali Lege prohibeatur alienatio Regni, generali tamen omnium Regnorum cum ipsis Regnis nata & quasi Iure Gentium videtur vetita;* add. Heig *p. 1. q. 19. n. 1.* possuntque sub hac distinctione plures aliàs dissentientes, quos catervatim recenset Ziegler. *ad Grot. p. 130.* in ordinem cogi. In diversas tamen partes abit Hennig qui etiam in casu, quo alienatio expressis conventionibus regimine civili inclusa non est, Jus alienandi Imperium ad Regem spectare existimat, non quidem ex præsumpta voluntate populi, sed ex natura & efficaci Majestatis indole, quæ omnia in cives & civitatem possit, nisi quatenus in actu secundo limitetur; *ad Gr. lib. 2 c. 6. p. 404.* & ad *lib. 3. c 20 § 5* ubi ait: *regulariter Imperanti competere vi jurium Majestatis alienandi facultatem, & speciali ad eum impediendum inhibitione per pactum opus esse.* atque hanc facultatem non minus ad alienationem totius Imperii, quàm partis ejusdem pertinere alibi asserit. *add. d. l. 2. c. 6. p. 404.* Verùm

vitatis alienandi. Conring. *d. c. 10. pag. 349.* Bœcler. *ad dict. cap. 6. Grot. pag. 218* Ziegler *ibid §. 8.* Add. Arnis. *de Iur. Maj. Lib. 3. c. 1. p. m. 488 & seq.* Inest enim hæc facultas jacturâ partis servandi totum corpus, & salutem securitatemque totius Reipubl. cui omnes partes obligantur, partis alienatione obtinere, in ipsa summæ potestatis natura, quæ civium voluntates non rectas ad finem civitatis universalem inflectit. Ex quo est, quod translatio & cessio totarum Provinciarum, Regionum, Urbium, unà cum incolis per pactionem bellicam facta, etiamsi alias sine pacto alienationis non subsisteret, Dominii Eminentis usu defenditur. Bœcler. *de Dom. Emin. in comm. Grot. p. 104.* Dn. Textor *d. c. 20. n. 21. & seqq.* & *c. 30. n 31.* Schultz. *Disp. de Pact. Pac th. 8.*

XL. Illud verò prætereundum non est, urgente necessitatis casu subditos alienari posse non solùm cum translatione certæ partis terrarum & provinciæ, (quæ aliàs alienatio cum Universitate appellatur, & in casibus quoque prohibitis admittitur. arg. *l. 62. ff. d. A. R. D.* Petr. Ant. de Petra *de Iur. qu. per princ. non toll. p. 540. n. 131.* Gabriel. *Comm. Concl. l. 3 de Iur. quas. non toll. conc. 8. num. 10.*) sed quandoque vim dominii eminentis eousque porrigi, ut & separatim illi Imperantium commercio subjiciantur. Id quod contingit, cùm ab hoste civis loco satisfactionis bellicæ petitur; ubi difficillima incidit quæstio, an Jus sit civitati in vitam civis innocentis, ut eum ad placandam hostis iram, quò clades aut exitium à civitate avertatur, ad necem aut malum morti comparandum tradere possit? *Benè redimi capite unius civium pacem,* putat Quintil. *declam. 253.* Econtra civitatem talem potestatem non habere in vitam subditi innocentis, ut eum perdat, alii probabilius reputant. Ziegl. *ad Grot. lib. 2. c. 25. §. 3.* & quos alleg. Dn. D. Bardili *in sæpius cit. Disp. de obl. fac. th. 17.* & quòd ex Jure supereminentis dominii civitas vitam civium innocentium, utilitatis publicæ intuitu, destinato proposito queat perdere, ultra humanæ potestatis limites positum negotium agnoscit Bœcler. *de Domin. Emin. p. 99.* Quod si tamen periculum civitati verè immineat, & insuper de hostis potestate non minus quàm voluntate, quòd mitiori nullo remedio deliniri queat, certò constet, deditionem Jure supereminentis dominii defendi posse, arbitrantur Horn. *de Dom. Emin. th 38. & seqq.* Dn. Kulpis *Ex. Grot. 9. thes. 1. lit. C.* Nos circa hanc quæstionem, quantum ad vitæ jacturam, civi innocenti imminentem, ob circumstantiarum, quæ hîc ponderandæ sunt, & quarum minima statum controversiæ immutat, varietatem, nil definimus; ubi verò alio fine, v. gr. ob eximiam in arte quadam peritiam, vel singularem eruditionem postulatus fuerit, quin tradi possit, non dubitamus cum Henning. *ad Grot. l. 2. c. 26. p. 953.* Quid de pudenda Mauregati Hispaniæ Regis pactione, quâ 50. nobiles puellas & totidem plebejas Arabum libidini, velut tributum annuum concessit, judicandum sit? vid. apud Bœcler. *d. l. p. 101.* Simile exemplum refert Marian. *de Reb. Hisp. l. 7. c. 6.* Porrò Jus Commercii circa Subditos, separatim absque territorio spectatos, conspicitur in Datione obsidum. Communi quippe Gentium Jure introductum, ut si bellum componendum, pacta firmanda, quæ pacem reducant, si cautio super debito publicè contracto prestanda, &c. major fides paciscentib non habeatur, quàm si loco & causâ toti Civitatis aliqui è numero civium obsides quasi pignoris loco dentur; (unde obsidem hominem, qui stat loco pign. ein gyselonge / off dat is eyn Mensche

gyselt

staende vor eyn Pant/ ex vet. Lexic. Teut. describit Dn. Schilt. *de Iur. obs. c. 11. n. 11.)* ad quod munus seu onus suscipiendum, si, qui sponte se offerant, deficiant. Jure supereminentis dominii etiam invitos adigi posse, omninò arbitramur cum Bœcler. *d. l. p. 100.* Pufend. *l. 8. c. 2. §. 6.* Diss. Dn. Ziegl. *ad Grot. l. 3. cap. 20. §. 52.*

XLI. Videamus modò de altero suprà traditæ Distinctionis membro; ubi nimirum pactiones & sponsiones de alienatione inter Imperantem & populum intercessêre, & tunc iterum videndum, an pactiones interpositæ alienationem permittant, an prohibeant. Priori casu Jus alienandi ex ipsis verbis pactorum & LL. fundamentalium mensuram accipit. Posteriori verò casu indubiè cessat, per regulam *l. 1. ff. de pact. l. 1. ff. de constitut. pec. c. 33. X. de Iurej.* Perez. *ad tit. C. de Iur. fisc. n. 7.* Petra *de Iur. quæs. per pr. non toll. pag. m. 534. n. 05.* Dn. Struv. *d. diss. de Iur. alien. Ill. th. 10.*

XLII. Et sanè in plerisque Regnorum & Imperiorum delationibus per formulam Regni modum Imperii gerendi præscribi, hocque ipsum, quod est de subditorum alienatione, caput LL. uti vocant, fundamentalibus restringi, ex inductione exemplorum manifestum reddi potest. Sed cùm singulorum Regnorum testimonia hîc proferre infinitus ferè & arduus labor sit, eò quod, observante Bœcler. notitia eorum non ubique in obvio posita, neque etiam LL. fundamentales ubique perscriptæ, aut ad totam Reipubl. rationem sufficienter descriptæ extent, imò hoc ipsum de alienatione caput magis consuetudine, usu temporum, moribusque, vid. Bach. *v. 1. D. 2. th. 3. lit. f.* quàm scriptura LL. explicetur, quædam tantùm ex Illustrioribus subnectemus. In Angliâ Jus in Regno succedendi in Comitiis Parlamentariis præscribi, testatur Smith. *de Rep. Angl. l. 2. c. 2.* ejusq; Reges Dei beneficio, populique voluntate & consensu lecti renunciatique dicuntur; irritam proinde habuit populus traditionem, quam Johannes Rex Pandulpho Pontificio legato fecerat inconsultis proceribus; Smith. *lib. 1. c. 9* add. Buchan. *in Balliol.* In Galliâ inter LL. Regni fundamentales refertur: Ne Regi Jus sit ullam dominii sui partem sine publici concilii authoritate alienare. v. Papon. *Arrest. l. 5. tit. 10.* Goldast. *Pol. Imp. part. 14. p. 647.* Carpzov. *de Leg. Reg. Germ. c. 1. Sect. 3. n 15.* Duras hinc conditiones tradendarum Regni partium in manus Caroli V. Cæsaris, ex hoc capite effugere conatus est Franciscus I. qui petenti Carolo, ut LL. Madrilianis satisfaceret, post longas cunctationes respondit: In suâ non esse potestate, de Regni Francici corpore membrum aliquod separare, nisi ejusdem membri, Ordinum & totius Regni consensu ita decernatur, *(qu'il étoit besoin, qu'il sceut premierement l'intention de ses sujets de Bourgogne, parcequ' ils ne les*

Domaine & patrimoine de nôtre Couronne est reputé sacré, & ne peut tomber au commerce des hommes; *au corps du droit de Franc. l. 10. tit. 1. l. 1. in pr.* add. Arnisi. *de Iur. Maj. l. 1. c. 2 n. 10.* De Hungariâ videri meretur delatio Regni Uladislao II. facta, relata ab Ant Bonfin. *Rer. Hung. Dec. 4. lib 9. p. m. 688. & seq.* conf insuper ex actis publicis à novissimè coronato Rege Josepho juratò de non alienando repetita promissio De Regno Hispaniæ vid. de las Casas *cap. cit. tr. §. 22.* Perez. *in C. tit. si lib. Imp sec. num. 8* De Poloniâ Limn. *ad cap. in proleg. sect. 9. n 9* Sand. *de proh. rer. alien. c. 6. n. 13.* De Regno Neapolitano Matth. de Affl. *in Const. Neap qu 4.*

XLII. In Imperio Romano-Germanico jus alienandi subditos metiendum ex potestate, quæ Imperatori circa Imperium ejusve partes relicta est. Illam verò tam plenam non esse, ut ad alienationem extendi possit, ex Capitulatione hodierni Imp. Augusti, quâ clementissimè promisit, se facultates Imperii absque consensu Electorum non distractutum, oppignoratutum, aut alio quovis modo deterioraturũ esse, satis apparet *Art. 12.* jung. Capp. Caroli V. *art. 9.* Ferd. I. *art. 8.* Maxim. II. *art. 6.* Rudolphi II *art. 8.* Matthiæ *art. 8.* Ferdin. II. *art. 8.* Ferdin. III. *art. 9.* Ferd. IV. *art. 9.* An hæc capitulatio adeò strictè interpretanda sit, ut ne casu quidem necessitatis vel utilitatis publicæ ab ea recedere Imperatori liceat? in utramque partem, per argumenta generalia, quæ collegit Limn. *ad Capit. proleg. sect 8. num. 29. & mult. seqq.* disceptari potest. Et sanè cùm in pactione Osnabrugensi difficillima deliberatio incidisset, quomodo Regibus paciscentibus, Gallo, Suecoque, locorum Jure belli possessorum restituendorum nomine satisfieret, inter alias consultationes, rationes supereminentis Dominii probè excussæ fuere, in quantum scil. in Imperio Romano, prout unam Rempubl. repræsentat, hoc Jus non nisi ab Imperatore & Imperio seu ordinibus simul exerceri debeat, & prima quæ de cedendis quibusdam provinciis ac ditionibus ferebatur vox, necessitatis publicæ Jure exaudiri voluit, extra invidiam tamen & contradictionem non fuit acceptata. Sedulò enim disceptabatur, quis authorem se tantæ rei faceret, & quo Jure? & cùm ab initio plenipotentiarius Cæsareus Suecis Pomeraniam, Gallis Alsatiam satisfactionis loco obtulisset, digeri hoc non potuit à Legatis Statuum, quod Cæsarei quasi pro arbitrio suo exteris bona Imperii tàm liberaliter obtulerint, cùm tamen Leges Imperii exigant, in ejusmodi negotio Statuum consensum non pro formâ scenicâ, sed de necessitate esse adhibendum. Conf. Pufend. *Rer. Suec. & Germ. L. 18.* Tandem multis ultrò citroque dictis, Cæsarea Majestas de consensu Electorum, Principum & Statuum Imperii, cumprimis interessatorum, S. R. M. Regnoque Sueciæ concessit certas ditiones, pleno Jure & in perpetuum, & immediatum Imperii feudum. Instrum. Pac. Cæs. Suec. *art. 10.* eademque ratione Gallia ab Imperatore & Imperio & Domo Austriacâ alia, nexu feudali planè libera, recepit. Sed de his atque aliis nobis, pagellarum huic exercitio destinatarum angustiâ exclusis, latioribus nunc esse haud licet; pedem ergò hic figimus, quæ ad integrandam argumenti hujus Tractationem supersunt, aliâ vice exhibituri.

TANTÙM!